

Illustrissime ac Reverendissime Domine Cardinalis!
Eminentia Colendissima!

Leopoldus episcopus Seccoviensis (di Seckau) in Styria Austriae in adjecto ./ humillime offert „Relationem” de statu dioecesis suae Seccoviensis secundum decretum S. Congregationis Consistorialis de dato 4. Novembris 1918 ac devote rogat, ut ea benigne recipiatur et aestimetur. Putat enim, se in ea omnia secundum realem statum et conditionem declarasse et descripsisse, et nihil aliud desiderat, quam ut Deus et homines in iudicio magis clementiam quam justitiam sequantur.

Jam optima quaeque ac fausta a Deo adprecatur

Eminentiae Vestrae
humillimus et obstrictissimus
Leopoldus
Episcopus Seccoviensis

Roma, die 26. Octobris 1923.

Relatio
de statu dioecesis Seccoviensis durante quinquennio 1919 - 1923
secundum formulam a S. Congregatione Consistoriali die 4. Novembris 1918 praescriptam.

Relatio
dioecesis Seccoviensis 1923
(secundum formulam a S. Congregatione Consistoriali die 4. Nov. 1918 praescriptam).

Caput I.

Generalia de statu materiali personarum et locorum.

1. Indicet Ordinarius nomen et cognomen suum, aetatem, originis locum, et institutum religiosum, hoc est religionem, si ad aliquam pertineat; quando fuerit consecratus, vel, si Abbas sit, benedictus; quando dioecesis regimen suscepit. Si Episcopum Auxiliarem habeat, an datus sit personae vel dioecesi.

Ordinarius est Leopoldus Schuster, Doctor s. Theologiae, natus die 24. Octobris 1842 in parochia S. Annae ad Aigen, sita in Styria, provincia nunc reipublicae Austriae; Princeps Episcopus factus est vi singularis privilegii ab Archiepiscopo Salisburgensi Joanne Haller: nominatus die 20. Octobris 1893, confirmatus et investitus die 30. Decembris ac consecratus die 31. Decembris eiusdem anni denique in sedem suam solemniter introductus die 6. Januarii 1894. Residet in urbe Graecii in Styria et Episcopum auxiliarem non habet.

2. Breviter exponat quanam sit origo dioecesis, quinam eius titulus seu gradus hierarchicus, quae privilegia potiora; si metropolitana sit, an et quas habeat suffraganeas sedes; et quem Ordinarium appellationis iuxta Codicem, can. 1594 § 2, teneat; si vero suffraganea sit, quem Metropolitam habeat; et num apud illum, vel apud alium Antistitem pro Conferentiis episcopalibus conveniat; si denique nulli Metropolitae suffragetur, quem Metropolitam pro Concilio provinciali, pro Conferentiis et pro iudicio appellationis teneat iuxta cann. 285, 292 et 1594 § 3.

Dioecesis Seccoviensis (Seckau) ab Archiepiscopo Salisburgensi Eberhardo II. consentiente Summo Pontifice Honorio III. (22. Jun. 1218) ex suo territorio et suis bonis die 17. Februarii 1219 fundata et erecta est, qua de causa Archiepiscopo Salisburgensi a Summo Pontifice privilegium concessum est, ut unumquemque Episcopum Seccoviensem et eligeret, nominaret et confirmaret. Fridericus II. Imperator Romanus confirmationem confirmavit et beneficio juris auxit, ut quilibet Episcopus Seccoviensis titulo et dignitate „Principis imperii Romani” frueretur (26. Oct. 1218). Dioecesis nominatur Seccoviensis, quia in erectione dioecesis collegium Canonicorum regularium in pago Seckau, in Styria superiore situm, destinabatur, ut simul sit capitulum cathedrale et ecclesia dicti monasterii simul ecclesia Episcopi cathedralis. Episcopus Seccoviensis est suffraganeus Metropolitae Salisburgensis et neque ipse neque dioecesis privilegia specialia possidet.

3. Dicat praeterea:

- a) quinam locus residentiae Ordinarii, cum indicationibus ad epistolas inscribendas necessariis;*
- b) quanam amplitudo dioecesis, ditio civilis, caeli temperies, lingua;*

- c) *quaenam summa incolarum et praecipua oppida; quot inter incolas sint catholici; si autem varii adsint ritus, quot catholici in singulis, et si acatholici inveniuntur, quot sint, et in quales sectas dividantur;*
- d) *qui numerus sacerdotum saecularium, clericorum et alumnorum Seminarii;*
- e) *utrum adsit Capitulum cathedrale, an potius coetus consultorum dioecesanorum; an adsint alia Capitula, vel sacerdotum coetus instar Capitulorum, seu Communiae, et quot;*
- f) *in quot vicariatus foraneos, decanatus, archipresbyteratus aliasve circumscriptiones dioecesis divisa sit; quot sint paroeciae, cum numero fidelium earum quae maximae vel minimae sunt; an adsint paroeciae per linguas seu nationes distinctae, et an per familias et non territorio divisae, et quo iure; quot aliae ecclesiae vel oratoria publica adsint ; sitne sacer aliquis locus celeberrimus, et qualis, cann. 216, 217;*
- g) *utrum et quaenam religiones virorum habeantur, cum numero domorum et religiosorum sacerdotum;*
- h) *utrum et quaenam religiones mulierum, cum numero domorum et religiosarum.*

Locus residentiae Ordinarii est urbs Graecium (Graz) in Styria (Steiermark) Austriae. Dioecesis extenditur per 16.478 Kilom. quadr. et sita est in Styria, provincia reipublicae Austriae. Coeli temperies varia est: asperior in Styria superiore propter montes, secundior in parte meridionali, ubi campi fertiles reperiuntur. Lingua, qua populus utitur, est germanica; in finibus tantum meridionalibus, qui dioecesim Lavantinam attingunt, pauci pagi utuntur etiam lingua slovenica. Numerus incolarum anno 1921 erat 995.296. Praecipua oppida sunt: Graz, Bruck, Leoben, Knittelfeld, Fürstenfeld, Voitsberg, Rottenmann. Catholici in dioecesi numerantur 973.600, acatholici 21.696, inter quos maior pars adhaeret sectae protestanticae (A.C.); Israelitae sunt circiter 3.000. Vetero-catholici circiter 2.000, Graeci non uniti 300 - 400, numerus eorum, qui nulli confessioni adhaerent, nostris diebus valde crevit - usque ad circa 2.000.

Numerus sacerdotum saecularium anno 1922 erat 620, clerici et alumni in seminario maiori erant 125.

Adest solummodo capitulum cathedrale cum decem membris activis et sex honorariis.

Vicariatus foranei, qui in hac dioecesi decanatus vocantur, numerantur 45, ex quibus 11 archidecanatus, parochiae existunt 340; maxima parochia quoad numerum fidelium est in urbe Graecii, nimirum ad S. Andream cum 34.196 fidelibus, minima vero ruri ad S. Rupertum in Kulm cum 65 parochianis.

Parochiae per linguas seu nationes distinctae vel per familias divisae non sunt.

Ecclesiae minores vel oratoria publica 230 numerantur. Omnium locorum sacrorum Styriae immo Austriae celeberrima est basilica Beatae Mariae Virginis in Cellis (Mariazell) in Styria superiore.

„Religiones“ et virorum et mulierum multae in dioecesi existunt.

a) Religiones virorum sequentes habentur:

Canonici regulares Lateranenses in pago Vorau	1 domus, 24 sacerdotes
De Ordine S. Benedicti	
Abbatia Admont	1 domus, 56 sacerdotes
Abbatia S. Lambrecht	1 domus, 50 sacerdotes
Abbatia Seckau	1 domus, 36 sacerdotes
Cistercienses in Abbatia Rein	1 domus, 26 sacerdotes
Ordo Praedicatorum Graecii	1 domus, 17 sacerdotes
Ordo Frat. Min. S. Francisci	5 domus, 27 sacerdotes

Fratres Conventuales	1 domus, 6 sacerdotes
Fratres Capucini	8 domus, 25 sacerdotes
Carmelitae discalceati	1 domus, 6 sacerdotes
Ordo Servorum B.M.V	1 domus, 6 sacerdotes
Ordo Frat. miseric. s. Joann. d. Deo	3 domus, 3 sacerdotes
Societas Jesu	1 domus, 5 sacerdotes
Congregatio Lazaristarum	2 domus, 19 sacerdotes
Congregatio Ss. Redemptoris	2 domus, 20 sacerdotes
Fratres B.M.V. pro scholis	2 domus, 7 sacerdotes
Collegium piorum operariorum a S. Jos. Calas.	1 domus, 2 sacerdotes
Congreg. Filiorum Ss. Cordis Jesu	1 domus, 4 sacerdotes
Ordo equestris Joannitarum	1 domus, 2 sacerdotes

b) Religiones mulierum sequentes habentur:

Abbatia monialium S. Benedicti	1 domus, 87 religiosas
Carmelitinae	1 domus, 19 religiosas
Ursulinae	1 domus, 52 religiosas
Elisabethinae	1 domus, 32 religiosas
Sorores de bono pastore	1 domus, 41 religiosas
Moniales de Ss. Corde Jesu	1 domus, 50 religiosas
Sor. pauper. scholae de Notre Dame	1 domus, 5 religiosas
Sorores Dominicanae	1 domus, 58 religiosas
Sorores scholae III. Ord. S. Francisci	18 domus, 315 religiosas
Sorores S. Crucis	56 domus, 425 religiosas
Filiae Charit. S. Vincentii a Paulo	43 domus, 877 religiosas
Congreg. famularum Ss. Cordis Jesu	1 domus, 9 religiosas
Sorores divini amoris	1 domus, 8 religiosas
Congreg. servarum B. M. V.	1 domus, 5 religiosas
Auxiliatrices animarum purgatorii	1 domus, 5 religiosas

Caput II.

De administratione temporalium bonorum, de inventariis et archivis.

4. An et quomodo iuxta civiles loci leges, facultas possidendi, acquirendi et administrandi, quae Ecclesiae propria est, sarta tectaue sit; an potius coarctata; et si ita sit, quaenam sit conditio cleri et ecclesiarum.

Leges civiles ecclesiae concedunt facultatem possidendi, acquirendi, alienandi et administrandi bona temporalia; sed potestas civilis sibi sumit jus invigilandi administrationem bonorum ecclesiasticorum; in alienatione et locatione bonorum, ut coram auctoritate civili validae sint, necessarius est antecedens consensus potestatis civilis. Leges civiles, quamvis coarctent libertatem ecclesiae, tamen administrationi bonorum ecclesiasticorum detrimentum non afferunt.

5. An institutum sit penes curiam Consilium administrationis et quibusnam constet: et num Episcopus in administrativis actibus maioris momenti illud audierit iuxta praescripta can. 1520.

„Consilium” administrationis institutum est in Consistorio episcopali et constat ex Canonicis Capituli cathedralis et aliis sacerdotibus piis et doctis ab Episcopo nominatis.

6. *An administratores particulares, sive ecclesiastici sive saeculares, cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis, aut loci pii canonice erecti, aut confraternitatum, reddant quotannis Ordinario rationem suae administrationis. Can. 1525.*

7. *An servata sint praescripta can. 1523 circa modum administrationis, et confectionem librorum accepti et expensi; can. 1526 de non inchoandis litibus sine Ordinarii scripta licentia; can. 1527 de abstinendo ab actibus ordinariam administrationem excedentibus; et can. 1544 seqq. circa congruam dotem, tabulas piarum foundationum, aliaque.*

8. *An qui bona fiduciaria ad pias causas acceperint, servant quae can. 1516 statuit, praesertim circa rationem Ordinario reddendam.*

9. *In venditione, oppignoratione, permutatione, locatione et emphyteusi bonorum servatae sint fideliter ab omnibus normae cann. 1530-1533, 1538-1542: et si non, quae remedia adhibita. Praecipua quae acta sunt his de rebus negotia referantur.*

10. *Circa decimarum et primitiarum solutionem serventur laudabiles consuetudines, praecavendo tamen a dura exactione. Can. 1502.*

11. *Circa oblationes in commodum paroeciae et missionis serventur praescripta can. 1182 de earum administratione et ratione Ordinario reddenda; et collectores abstineant a vexatoria et odiosa requisitione.*

12. *Circa missarum stipem quomodo serventur quae can. 831 praescribit de taxa synodali; quae can. 835 de non colligendis a sacerdotibus missis, quibus intra annum ipsi satisfacere nequeant; quae can. 841 de transmissione ad Ordinarium missarum exuberantium; quae cann. 843 et 844 de libro tam personali quam ecclesiarum proprio pro missis adnotandis.*

6. - 12. *Canones huc respicientes accurate observantur; praesertim omnes administratores bonorum ecclesiasticorum qualiumcumque, similiter omnes actores, collectores et provisores rerum ad missas et alias causas sacras spectantium quotannis et saepius Ordinario rationem reddunt et ab eo instructiones et monita idonea accipiunt.*

13. *An inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capitulorum, confraternitatum aliorumque piorum locorum, quae canonice erecta sint, confecta in duplici exemplari, alio pro pio opere, alio pro Curia episcopali habeantur iuxta cann. 1296, 1522. Cautum ne sit, et quomodo, ne morte rectoris ecclesiae, aut superioris pii operis mobilia et suppellectilia disperdantur aut subtrahantur. Cann. 1296, 1300-1302.*

Inventaria immobilium, mobilium et sacrae suppellectilis uniuscuiusque ecclesiae, parochiarum, capituli cathedralis, piorum locorum canonice erectorum in duplici exemplari habentur, ex quibus unum in Curia episcopali, alterum in stationibus asservatur. Juxta vires etiam cautum est, ne ullo modo, nec occasione obitus administratoris bonorum ecclesiasticorum, aliquid disperdatur vel subtrahatur.

14. *An Episcopus archivum habeat ad tramitem cann. 375-378 erectum et custoditum; et cum documentis et libris de quibus in cann. 470 § 3, 1010, 1047, 1107; a quo tempore documenta incipiant, et an pergamenae et incunabula habeantur: catalogine confecti sint; an aliud quoque secretum archivum, vel saltem armarium obseratum, in qua scripturae secretae custodiantur, servatis regulis cann. 379-380.*

In Curia episcopali adest archivum ad tramitem Can. 375 - 378 erectum et custoditum, in quo asservantur libri et documenta, de quibus loquuntur Canones 470, § 3, 1010, 1047, excepto libro pro matrimoniis sic dictis conscientiae (Can. 1107), quae in dioecesi locum non habent. Catalogi confecti sunt. In archivo episcopali inveniuntur etiam pergamenae; vetustissima pergamena est ex anno 1223 (30. Aprilis), de condonatione decimarum Eberhardi Archiepiscopi ad Carolum Bisdorf. Incunabula non adsunt. Adest etiam secretum archivum, de quo sermo est in Can. 379 et omnia, quae ibi praescripta sunt, observantur. Insuper observatur etiam praescriptio in Can. 380 contenta.

15. An ecclesia cathedralis, collegiatae, paroeciales, confraternitates et pia loca canonice erecta, sua quoque archiva detineant, cum documentis cuicumque piae causae propriis, cum inventariis mobilium et immobilium et cum catalogo omnium documentorum; et exemplar eiusdem catalogi exhibitumne fuit Curiae episcopali, et in archivo Curiae repositum iuxta can. 383.

Omnes ecclesiae et pia loca habent catalogos rerum vel etiam archiva, quorum unum exemplar asservatur in archivo episcopali.

Caput III.

De fide et cultu divino.

16. Utrum graves errores contra fidem serpent inter dioecesis fideles; vel aliqua praxis superstitiose aut ab institutis catholicis aliena in dioecesi vigeat; an modernismi, theosophismi, spiritismi lues dioecesim infestet, et an aliqui e clero eisdem erroribus infecti sint. Quenam huius mali fuerit, vel adhuc sit causa. Adsitne Consilium a vigilantia, quot personis constet, et quo fructu munera sua expleat. An professio fidei cum iuramento antimodernistico exigatur, et ab omnibus ad quos spectat fideliter praestetur iuxta can. 1406 et decretum S. Officii 22 Martii 1918.

Agitatio ex parte „Protestantium” ad defectionem a fide catholica excitans non omnino desiit; accessit noviter vehemens agitatio sic dictorum „Socialistarum” ad perfectam apostasiam a fide christiana impellens, cui non pauci praesertim operarii in fabricis, in variis officinis majoribus propter terrorem incussum misere subjacuerunt, ita ut jam plura millia a fide Christi defecerint. Novissime sectae Adventistarum et Methodistarum errores in dioecesi divulgare conantur; lues Spiritismi et Theosophisme serpit occulte inter fideles; de Modernismo non amplius est conquerendum, omnino fere exspiravit. E clero nullus istis erroribus infectus est. Adest „Consilium a vigilantia” jam ex septem personis constans, quod aliquoties, saltem quater in anno, praesidente Episcopo de periculis a fidelibus amovendis deliberat. Professio fidei cum iuramento antimodernistico ab omnibus, ad quos spectat, fideliter et libenter praestatur.

17. Utrum divinus cultus libere exercentur; sin minus, unde obstacula proveniant: a civilibusne legibus, an ab hostilitate perversorum hominum, vel ab alia causa; quanam ratio suppetat ad ea amovenda, et num adhibeatur.

Divinus cultus libere potest exerceri; perturbatores functionum religiosarum a gubernio civili secundum leges civiles puniuntur.

18. An Ecclesiae iura circa coemeteria sarta tectaue sint, et canonicae de his leges servari possint, et serventur. Cann. 1205 seqq.

Jura ecclesiae circa coemeteria sarta tecta que sunt, et canonicae de coemeteriis leges servantur.

19. Utrum in cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione; in sacramentorum administratione; nec non in sacris functionibus, sive quoad ritum sive quoad linguam et cantum, leges canonicae ac liturgicae servantur. An in his, et quatenus, irrepserint singulares consuetudines; sitne cura ut prudenter submoveantur, an potius tolerantur, et quanam de causa. Can. 731 seqq.; can. 1255 seqq. Adsintne in ecclesiis picturae, statuariae aliaque a sanctitate loci aliena, vel minus consona liturgicis legibus; et quid fiat ut amoveantur. Arceanturne semper a domo Dei profani conventus, et nudinae etiam ad pias causas. Can. 1178.

In cultu divino, in Sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum veneratione, in sacramentorum administratione sicut in omnibus stricte liturgicis functionibus tam quoad ritum, quam quoad linguam et cantum leges liturgicae observantur. Discrepantiae minoris momenti sunt, nimirum ex pervetusta consuetudine, quasi in tota Salisburgensi ecclesiae provincia divulgatae, quae praecipue ad venerationem Ss. Eucharistiae pertinent. Ex quo enim Protestantes saec. XVI. Ss. Sacramentum impugnabant, eo magis Catholici venerationem et publicum cultum eidem obtulerunt. Sic frequenter Missae coram Sanctissimo exposito celebrantur; benedictio cum Sanctissimo in Litanis et Vesperis celebratis non solum in fine, sed etiam in initio datur; sacerdos s. communionem ante vel post missam distribuens populo non manu sed cum „ciborio” benedicit. Ab dominica infra Octavam Corporis Christi usque ad festum S. Bartholomaei omnibus diebus dominicis processio cum Sanctissimo – sed minore cum apparatu ac in festo Corporis Christi – sub divo instituitur in qua „initia” 4 Evangeliorum sicut in festo Corporis Christi leguntur et quater benedictio datur. Hae processiones a populo „Initia” vocantur. Consuetudines enumeratae non sive gravi populi scandalo abrogari possent. In ecclesiis picturae, statuariae aliaque a sanctitate loci aliena vel legibus liturgicis contraria non exstant. Item in ecclesiis nusquam profani conventus vel nudinae tolerantur, idque ne ad causas pias quidem.

20. Utrum numerus ecclesiarum in singulis oppidis vel paroeciis fidelium necessitati sufficiat. Exceptis urbibus Graz, Bruck, Leoben et Knittelfeld numerus ecclesiarum fidelium necessitati sufficit. Iniuria temporum prohibet, ne novae ecclesiae in quibusdam vicis e. gr. in Eggenberg prope Graz et in Donawitz prope Leoben aedificari possint, ubi permulti operarii habitant.

21. An generatim ecclesiae mundae sint, decenter ornatae et suppellectili sufficienti instructae. Adsintne egentes, squalidae, fatiscientes, et an et quid agatur ut reficiantur. Recenseantur ecclesiae, si adsint, structurae arte, picturis aut pretiosa suppellectili insignes: et dicatur num congrua de his omnibus cura adhibeatur.

Ecclesiae generatim mundae servantur, decenter ornatae et sufficienti suppellectili instructae sunt; solum campanis diversae ecclesiae adhuc carent, quae tempore belli jubente gubernio civili in defensionem patriae ablatae et consumptae sunt.

Dioecesis magno numero ecclesiarum structurae arte, picturis et pretiosa suppellectili insignium gaudet e. gr. in urbe Graz: ecclesia cathedralis, ecclesia ad pretiosissimum Sanguinem, ad Ss. Cor Jesu, ad S. Josephum; praeterea ecclesiae parochiales in pagis Vorau, Pöllau, Weizberg, Stainz, Leoben, Mariazell, Murau. Congrua cura ecclesiis nunc post bellum propter diminutionem valoris pecuniae difficulter adhiberi potest.

22. *An ingressus in ecclesias, dum sacra aguntur, sit, prout debet, prorsus absolute semperque gratuitus. Can. 1181.*

Ingressus in ecclesias prorsus liber semperque gratuitus est.

23. *An ecclesiae rite custodiantur ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant: et eae in quibus SS. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie per aliquot horas fidelibus pateant iuxta can. 1266: quomodo observentur: cann. 1267 et 1268 circa custodiam Ssmi Sacramenti in uno tantum loco et altari; et circa decorem et ornamentum praecellentissimum altaris eiusdem; can. 1269 circa tabernaculi statum; can. 1271 circa lumen coram SSmo.*

Ecclesiae pro viribus custodiuntur, ne furtis et profanationibus obnoxiae fiant. Ecclesiae omnes, in quibus Ss. Sacramentum asservatur, quotidie fidelibus per aliquot horas patent. Quae Can. 1267 relate ad domus religiosas et Can. 1268 quoad asservationem Sanctissimi praescribit, perfecte observantur.

Tabernacula plerumque ex ligno constructa, externe deaurata, interne velo serico albo ornata sunt; claves securo loco asservantur.

Coram tabernaculo una saltem lampas semper lucet; propter nimium pretium olei pro tempore toleratur, ut lux electrica adhibeatur.

Caput IV.

De iis, quae ad Ordinarium pertinent.

24. *Indicet Ordinarius quibus redditibus ipse qua talis fruatur, sive sint ex bonis immobilibus, ex publico foenore vel aerario, ex incertis Curiae, ex dioecesis contributione, sive ex aliis causis: et an sibi sufficientes sint; qualem domum episcopalem inhabitet, et cum quibusnam convivat: an et quale cathedraticum exigit iuxta can. 1504: an et quales alias exactiones forte imposuerit iuxta cann. 1505, 1506: utrum aliquo aere alieno sive qua Ordinarius, sive qua persona privata gravetur; et qua ratione eius extinctioni consulat.*

Ordinarius qua talis redditibus mensae episcopalis fruitur. Bona mensae episcopalis constant:

a) ex fundis (agris, vineis, pratis et silvis cum necessariis aedificiis) in summa 832 ha 98 a.

b) ex pecuniis foenore elocatis in sic dictis obligationibus publicis, quae ortae sunt ex redemptis decimis in summa 1.369.471 cor. Austr. cum annuo foenore 57.993 cor. Austr.

c) ex censu vel pecunia annua pro mensa episcopali allata a quibusdam parochiis (23) patronatis in summa pro anno 135 cor. Austr. Alii redditus non existunt.

Hi redditus pro praesenti tempore ad omnia expensa necessaria et vectigalia solvenda vix sufficiunt.

Episcopus proprium palatium in urbe Graecii habet dignitati episcopali conveniens, sed magis simplicitate constructionis et supellectilium quam luxu quodam conspicuum. In hoc palatio habitat Ordinarius cum duobus suis secretariis et famulatu necessario.

Cathedraticum non exigitur, nec aliae exactiones imponuntur.

Aere alieno Episcopus nec qua Ordinarius nec persona privata gravatur.

25. *An episcopales aedes et bona mensae sive mobilia sive immobilia, accurato inventario confecto, curaverit iuxta praescripta cann. 1483, 1299 § 3 et 1301.*

Praescriptis Canonum 1483, 1299, § 3, et 1301 quoad episcopales aedes et bona mensae tum mobilia cum immobilia, accurato inventario confecto, satisfactum est.

26. *An in ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuerit pro mensae bonis: et res bene gestae fuerint iuxta can. 432, 433.*

In ultima sedis vacatione praeter Vicarium Capitularem oeconomus quoque constitutus fuit pro mensae bonis iuxta Canones 432 et 433.

27. *Quomodo residentiae legi satisfaciat; qua frequentia pontificalia peragat, conciones habeat et pastoralibus litteris clerum et populum instruat; quomodo caveat ut ecclesiasticae leges notae fiant, et ut ab omnibus fideliter servantur. Can. 336.*

Episcopus obligationi residentiae strictissime satisfacit et nisi ex officio sui muneris v. gr. ob visitationes vel conferentias episcopales abesse debet, semper in sua residentia Graecii versatur. Pontificalia generatim omnibus diebus festis I. classis in ecclesia cathedrali peragit; immo data occasione etiam in aliis ecclesiis pontificalia celebrare solet vel actibus cultus publici interesse, si votum populi vel cleri id desiderat.

Pastoralis muneris sui memor Episcopus populum verbo Dei pascere amat et huic obligationi verbis et litteris satisfacere studet. In visitatione quotannis peracta quadragies usque quinquagies in diversis dioecesis ecclesiis parochialibus praedicat; in ecclesia cathedrali quinque jam sermones quadragesimales habuit, frequenter ad sodales monasteriorum et piorum institutorum adhortationes dirigit. Litteris pastoralibus clerum populumque instruit quotannis tempore quadragesimae, data occasione saepius in anno. Ut leges ecclesiasticae populo notae fiant et ab omnibus servari possint, provisum est per promulgationem in folio dioecesano vel etiam in folio diurno catholico.

28. *Qua frequentia sacramentum confirmationis administret; et quomodo provideat, si ipse per se omnium necessitatibus consulere nequeat. Serventur in huius sacramenti collatione regulae de aetate confirmandorum et de patrinis.*

Sacramentum Confirmationis tribus diebus Pentecostes festivis in urbe Graz, reliquo aestivali temporis spatio – generatim a mense Aprilis usque ad finem Augusti – in aliis urbibus et pagis, plerumque occasione visitationis canonicae in 40 - 50 parochiis ab Episcopo ipso administratur. Ut servantur in collatione huius sacramenti regulae de aetate confirmandorum et de patrinis, clerus quotannis folio dioecesano monetur.

29. *Quot in quinquennio sive per se sive per alium ad sacros ordines promoverit. Et an servaverit leges de non promovendis*

a) qui necessarii non sint vel utiles iuxta can. 969;

b) qui saltem integrum theologiae curriculum in Seminario non peregerint. Can. 972 § 1. An numerus ordinatorum par fuerit necessitati dioecesis. An aliquem incardinaverit, qua de causa, et num iuxta legem can. 111 seqq.

In ultimo quinquennio 1919 - 1923 ad sacros ordines 130 promoti sunt. Canones 969 et 972 § 1 perfecte observati sunt. Necessitas dioecesis maiorem numerum Ordinatorum exigeret, sed candidati desunt. Unum sacerdotem et quidem ex Conventualibus S. Francisci Episcopus incardinavit, qui in cura animarum jam probatus erat. Leges de incardinatione clericorum plene observatae sunt.

30. *An servatae sint regulae can. 877 seqq. in concedenda facultate vel licentia sacramentales confessiones audiendi; et can. 893 seqq. circa casus reservatos.*

Canones 877 sequ. et 893 sequ. semper perfecte observantur.

Ordinarius sibi reservavit solum duos casus:

- a) Periurium coram iudice sive ecclesiastico sive laico solemniter et scienter emissum;
- b) Homicidium voluntarium per actum exteriorem; sed huc non pertinet procuratio abortus foetus sive animati sive inanimati.

31. Circa sacram praedicationem, an consuluerit ut iuxta Const. S. P. Benedicti XV et normas a S. C. Consistoriali datas die 28 Iunii 1917 omnia rite procederent; ac maxime ut servarentur praescripta can. 1340 seqq. circa licentiam concedendam et can. 1347 circa modum et argumentum concionandi. An curaverit ut votum a can. 1345 expressum de brevi aliqua homilia in omnibus missis festivis habenda sensim ad effectum ducatur.

Ut in s. praedicatione praescripta Constit. Benedicti XV. et normae a S. C. Consistoriali die 28. Junii 1917 traditae a sacerdotibus serventur, Ordinarius pro viribus curat. Nulli sacerdoti conceditur facultas vel licentia concionandi, nisi constiterit de bonis moribus et de sufficienti doctrina per examen probata. Ut praescripta Can. 1347 ab omnibus serventur, saepius in folio dioecetano et etiam antea in Synodo dioecetana inculcatum est. Item quod Can. 1345 desiderat, Ordinarius iam antea suis sacerdotibus in synodo dioecetana valde commendavit.

32. An et quo fructu avertere pro viribus studuerit fideles a nuptiis cum acatholicis, infidelibus, aut impiis iuxta cann. 1060, 1064, 1065, 1071.

Sacerdotes mandatum habent, ut fideles, tum publice in s. praedicatione tum in privatis colloquiis, a nuptiis cum acatholicis, infidelibus et impiis absterreant, sed labor saepe sine fructu manet.

33. An in quinquennio totam dioecesim ipse per se, aut per alium visitaverit iuxta cann. 343-346. An praeter loca et res, libros et archiva, personas quoque clericorum visitaverit, eos singillatim audiendo, ut cognoscat quae sit uniuscuiusque vitae ratio, quae confessionis frequentia etc. An inspexerit quoque quae habentur circa legatorum adimplementum et missarum manualium satisfactionem ac stipem, et an constiterit omnia ad legis normam procedere iuxta cann. 824-844. Et si abusus aliquos hac in re detexit, referat.

Totam dioecesim Episcopus decursu 9 vel 10 annorum ipse visitavit. Personalis visitatio in quolibet quinquennio propter amplitudinem dioecesis et magnum numerum parochiarum impossibilis est. Unoquoque autem anno quaelibet parochia per decanos visitatur. Isti sicut Episcopus praeter loca et res, libros et archiva ipsos clericos visitant, singillatim eos inspiciendo et audiendo, ut cognoscant uniuscuiusque mores et vitam sacerdotalem, et de omnibus Episcopo referunt.

In visitatione inspiciuntur etiam, quae habentur circa adimplementum piorum legatorum et celebrationem missarum manualium, et Episcopus mandat, ut omnia iuxta Canones de missarum eleemosynis seu stipendiis observentur. Abusus in hac materia hucusque non detecti sunt.

34. Utrum et quomodo dioecesanam synodum celebraverit, et quando novissima synodus congregata fuerit. Cann. 356-362.

Episcopus synodum dioecesanam anno 1911 celebravit cui 371 sacerdotes interfuerunt. Acta et Constitutiones ad S. Sedem missa sunt. Ne ulterior synodus haberi potuerit, bellum et iniuria temporum usque hodie prohibuit.

35. *Si sit Metropolitanus aut Conferentiarum episcopalium Praeses: an et quando Concilium et quando Conferentias convocaverit; quinam interfuerint; et quo fructu res cesserit. Cann. 283-292. Ceteri Episcopi: an Concilio provinciali, et Conferentiis ipsi per se, aut saltem per procuratorem, interfuerint. Can. 287.*

Concilio provinciali Salisburgensi anno 1906 celebrato Episcopus interfuit; item conferentiis episcopalibus quotannis Viennae tempore autumni habitis semper interest.

36. *Quomodo se habeat cum civili loci auctoritate; an episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta ita semper servari potuerit, ut numquam, servilitate erga humanas potestates vel alio modo, detrimentum libertati et immunitati Ecclesiae, aut dedecus statui ecclesiastico obvenerit.*

Relatio civilis auctoritatis erga Episcopum non est hostilis, sed potius benevola, ita ut episcopalis dignitas et iurisdictio sarta tecta hucusque semper servari potuerit.

Caput V.

De Curia dioecesana

37. *Utrum Curia dioecesana aedes proprias, sufficientes et convenientes habeat; et si non, an et quomodo huic defectui consuli queat. Exhibeatur prospectus officialium Curiae episcopalis, adiectis iudicibus synodalibus, examinadoribus, parochis consultoribus, censoribus librorum, aliisque peculiaribus administris. Can. 363 seqq.*

Curia dioecesana in aedibus Episcopi invenitur; cubicula sunt convenientia et sufficientia.

Negotia dioecesis in Consistorio praesidente Ordinario vel eius Vicario Generali tractantur.

Consistorii assessores sunt 10 Canonici Capituli cathedralis et 4 Professores Facultatis theologiae in Universitate Graecensi.

Cancellaria episcopalis constat ex Cancellario, duobus secretariis, qui simul sunt capellani aulae episcopalis, Custode cassarum, qui simul est taxator, Archivario, Scriba et Cursore (laico).

Tribunal ecclesiasticum est duplex:

a) pro causis contentiosis et criminalibus, quod constat ex praeside, 7 iudicibus synodalibus vel prosynodalibus, ex defensore vinculi eiusque substituto, promotore iustitiae et secretario.

b) Pro causis matrimonialibus, quod constat ex praeside, 4 iudicibus synodalibus vel prosynodalibus, ex defensore vinculi eiusque substituto, secretario et Cursore (laico).

Consilium pro administratione seminarii parvi et majoris constat:

a) quoad institutionem et disciplinam ex 2 Canonicis,

b) quoad res temporales ex 2 Canonicis et 2 parochis.

Administratio episcopalis omnium bonorum temporalium ecclesiasticorum constat ex praeside revisore.

Examinatores Prosynodales 10 habentur, ex quibus 5 pertinent ad Capitulum Cathedrale, 5 ad Collegium Professorum Facultatis theologiae.

Parochi consultores sunt duo; Iudices synodales sunt quinque; Testes synodales sunt omnes archidecani pro suis districtibus.

Consilium a vigilantia constat ex Vicario Generali, ex 2 Canonicis, 2 Professoribus Facultatis theologiae et 2 sacerdotibus regularibus.

Ad Collegium Censorum librorum pertinent 7 sacerdotes, qui uno excepto omnes sunt Doctores in s. theologia.

38. *De qualitatibus et opere Vicarii generalis et aliorum praecipuorum ministrorum adumbratio aliqua fiat.*

Vicarius Generalis die 1. Augusti 1923 nominatus est Franciscus Baro de Oer, in iure canonico doctor, virtute, doctrina et dexteritate in agendis conspicuus. Absente vel impedito Episcopo pollet omnibus facultatibus, quas Codex iuris canonici Vicario generali tribuit. Praeter ipsum in regenda perampla dioecesi episcopum etiam adjuvat Cancellarius Joannes Reinisch, Canonicus Capituli Cathedralis, fidelitate, constantia, peritia in negotiis Curiae insignis.

39. *Quinam sint Curiae proventus sive ex taxis, sive ex multis pecuniariis, sive ex aliis titulis: et quomodo erogentur.*

Officiales Curiae excepto Cursore salarium accipiunt a gubernio civili. Taxae vix sufficiunt ad solvendas expensas necessarias, mulctae pecuniariae non sunt in usu neque alii tituli Curiae proventus obveniunt, quapropter multa expensa a mensa Episcopi desumi debent.

Caput VI. *De Seminario.*

40. *Si dioecesis Seminario careat, quomodo consulatur pro comparandis sacerdotibus dioecesi necessariis. An studium sit seligendi bonae spei iuvenes, e dioecesi oriundos, ad clerum indigenam creandum; quo fructu: et ubinam educantur. Can. 1353.*

Dioecesis habet duo Seminaria, quae sunt fructus zeli cleri et populi prioris saeculi, ut pro dioecesi clerus indigenus provideatur.

41. *Si Seminarium adsit, referatur enucleate:*

a) *de numero et statu eorum qui externam disciplinam regunt, qui spiritualiter alumnos dirigunt, qui docent, qui discunt;*

b) *de statu aedium, et rusticationis domus;*

c) *de redditibus et oneribus, hoc est de statu activo et passivo pii instituti;*

d) *de iis quae videantur necessaria ad meliorem Seminarii statum.*

Exstant igitur in dioecesi duo Seminaria, seminarium maius scilicet et minus.

Rector seminarii maioris est inde ab anno 1907 Franciscus Gutjahr, doctor theologiae et philosophiae, Suae Sanctitatis praelatus domesticus. Consiliarius aulicus, professor theologiae biblicae N. T. in Universitate Graecensi.

Rector seminarii minoris est ab anno 1922 Konradus Brandner, doctor philosophiae, professor linguarum classicarum in gymnasio. Ambo rectores sunt corpore et animo vigentes, vitae integritate et sacerdotalibus moribus conspicui. Dr. Gutjahr, editis libris s. Bibliam respicientibus, merito laudes publicas acquisivit.

In regimine seminarii maioris rectorem adiuvant:

Dr. Franciscus Königer qua subdirector et Dr. Oscar Graber qua studiorum praefectus: ambo sunt sacerdotes integri et exemplares. Directores spirituales sunt: in maiore seminario Dr. theol.

Carolus Krenn et in minore Aloisius Kahr, viri solida pietate, scientia atque prudentia praediti.

Numerus alumnorum seminarii maioris anno 1923 erat 91. Omnes facultatem theologiam in Universitate Graecensi frequentant, in qua 12 sacerdotes saeculares disciplinas s. theologiae docent. Numerus alumnorum seminarii minoris anno 1923 erat 248, qui omnes gymnasium cum seminario iunctum frequentant, in quo omnes professores, 20 scilicet, uno laico excepto - sunt sacerdotes saeculares dioecesani, publicis examinibus probati.

Aedes seminarii maioris est in proprietate Rei publicae, sub nomine „fundi studiorum”, et circiter 100 alumnos recipere potest; domui adiunctus est parvus hortus.

Domus seminarii minoris est in proprietate Episcopi i. e. dioecesis Seccoviensis et est tam ampla, ut circiter 300 alumnis cum professoribus et servis sufficere possit. Huic domui coniunctus est hortus amplissimus et valde amoenus.

Rusticationis domus seminaria non possident.

Seminarium maius propriis redditibus caret, cum „fundus studiorum”, i. e. res publica sustentationem pro alumnis congruam hucusque praestitit. Seminarium minus ex foundationibus, domibus et praediis et ex modica pensione alumnorum redditus recepit.

Ambo seminaria ante bellum 1914 victus necessarios habuerunt. Bello finito res omnino mutatae sunt. Nam seminaria nunc maximis in difficultatibus versantur et hucusque solum munificentia Summi Pontificis et benevolentia fidelium tum dioecesis tum praesertim externorum benefactorum sustentari potuerunt. Itaque ex mandato Episcopi viri prudentes continuo consilio deliberant, ut media ad incolumnitatem seminariorum servandam querant et proponant.

42. Distinctum ne sit Seminarium in maius et minus iuxta can. 1354 § 2. Et si prudentia suaserit, aut dioecesis conditio exegerit, ut dumtaxat Seminarium minus seu schola apostolica, uti vocant, constitueretur, dicatur ubinam maiores alumni educantur: num in Seminario proprio provinciali, seu regionali, seu interdioecesano apostolica auctoritate constituto iuxta can. 1354 § 3. Et de eius statu adumbratio aliqua fiat.

Ut supra iam dictum est, sunt seminaria maius et minus distincta et separata.

43. An servatae sint regulae: can. 1356 circa tributum seminaristicum; can. 1357 circa visitationem alumnorum et regulas internas; cann. 1358, 1360, 1361 circa directionem disciplinarem, oeconomicam et spiritualem; can. 1359 circa deputatos; can. 1363 circa alumnos admittendos et excludendos; can. 1371 circa dimittendo aut expellendos; cann. 1364-1366 circa institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae; can. 1367 circa pietatis exercitia; can. 1369 circa spiritum ecclesiasticum fovendum et urbanitatis leges tradendas.

Tributum pro seminariis hucusque non erat impositum, nunc autem necessarium fit, cum beneficia ecclesiastica fere omnia propter diminutionem valoris pecuniae Austriacae egestate laborent. Can. 1357 observatur, quia Episcopus data occasione praesertim diebus seminariorum festivis in capellis Sacra celebrat, praedicat, res et loca invisit, immo pro temporum ratione etiam examinibus alumnorum interest.

In ambobus seminariis praeter Rectorem adest oeconomus pro curanda re familiari (Subdirector), adsunt Magistri pro instructione, item director spiritualis et plures quam duo confessarii ordinarii. Canon 1359 satisfactum est, ut supra Nro. 37 iam dictum est. Can. 1363 et 1371 circa alumnos admittendos et excludendos, item circa dimittendos aut expellendos plene observantur.

Quod institutionem litterariam et scientificam, praesertim philosophiae et theologiae attinet, notatur: Humaniora studia, quibuscum etiam introductio in philosophiam coniungitur et quae ordinarie 8 annos complectuntur, omnibus theologiae studiosis iam in seminario minore absolvenda sunt, quia in seminarium clericorum ii soli recipiuntur, qui gymnasii cursum cum nota saltem sufficiente percurrerunt. Cursus philosophicus duos annos, cursus theologicus quattuor annos amplectitur. Praelectiones vel dissertationes magistrorum in philosophia et theologia iis tantum libris et auctoribus nituntur, qui ab auctoritate ecclesiastica approbati et laudati sunt.

Disciplinae theologicae, praesertim theologia dogmatica et moralis, lingua latina, ad magnam partem etiam exegesis s. scripturae, introductio, hermeneutica et historia ecclesiastica traduntur. Quod methodum attinet, scholastica aut historica, positiva et critica secundum indolem materiae tractandae adhibetur. Speciatim in tradenda theologia morali expositio theoretica coniungitur cum practica seu casuistica, quin systematica negligeretur. Cum praelectionibus disciplinarum principalium coniunguntur etiam sic dicta „seminaria scientifica”, in quibus studiosi theologiae a professore in profundiore disciplinae intelligentiam, in usum methodi scientificae et ad propria studia exaranda adducuntur.

Quovis autem anno de disciplina audita et absoluta alumni theologiae a professoribus examinantur, decano facultatis examini praesidente et Commissario ab Ordinario deputato assistente.

Praeter disciplinas ordinarias nimirum: philosophiam scholasticam, theologiam dogmaticam et moralem, studium s. scripturae, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam pastorem, catechetica et s. eloquentiae theoriam, etiam disciplinae extraordinariae traduntur, ut theologi ad profundiora quoque studia incitentur, nempe scientia et historia artis ecclesiasticae, archaeologia, theoria sociologiae et aliae. Insuper saepius opportunae praelectiones pro auditoribus omnium Universitatis facultatum habentur.

Praeter haec studia publica candidati presbyteratus practicas instructiones accipiunt:

- a) pro audiendis confessionibus,
- b) de administratione muneris parochialis,
- c) de liturgia sacra,
- d) de cantu ecclesiastico et ratione psallendi.
- e) denique quavis fere hebdomade praesentibus Rectore et pluribus Canonicis alumni se exercent in orationibus sacris faciendis vel in arte concionandi.

Quae Canones 1367 et 1369 praescribunt, adamussim in ambobus seminariis observantur; praesertim communio frequens promovetur.

44. An Ordinarius curaverit ut aliquis alumnus pietate et ingenio praestans peculiaria Urbis Collegia, vel Universitates sive facultates a S. Sede in Urbe vel alibi probatas adiret, ut ibidem in studiis perficeretur iuxta can. 1380.

Propter iniuriam temporum i. e. propter paupertatem nunc fieri nequit, ut sicut ante bellum alumnus unus alterve Romam ad perficienda studia theologica mittatur; solum Oeniponti duo clerici dioecesani studiis theologicis incumbunt.

Caput VII.

De clero generatim

45. An clerus generatim habeat quo honeste vivere possit. An pro senibus et infirmis domus aut saltem subsidia adsint quibus adiuvari possint.

Generatim dicendum est, clerum habere tantum, quanto honeste vivere possit. Lege gubernii civilis statutum est, quale salarium unicuique sacerdoti competat.

Quod huic salario - a lege „Congrua” dicto - ex proventibus beneficii proprii, ex stola et foundationibus deest, res publica supplet.

Pro infirmis sacerdotibus et pro senibus adest domus ampla, quae „societati sacerdotum” propria est, iam anno 1855 in dioecesi fundata, ut sacerdotes senes et infirmi subsidium et sublevamen accipiant.

46. An habeatur domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis: an etiam quo poenitentes recipiantur.

Domus propria pro spiritualibus cleri exercitiis non est, sed illa in seminario et in monasteriis celebrantur; pro poenitentibus est domus propria.

47. Quo fructu Ordinarius curaverit ut clerici omnes ea adimpleant quae recensent: can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia; can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia; can. 130 circa examina annualia novorum sacerdotum; cann. 131 et 448 circa conferentias cleri; can. 133 circa cohabitationem cum mulieribus; can. 134 circa communem clericorum vitam, praesertim vicariorum cooperatorum cum suo parcho, can. 476 § 5; can. 135 circa recitationem officii divini; can. 136 circa habitus ecclesiastici et tonsurae delationem; can. 811 circa vestis talaris delationem in missae celebratione; can. 137 circa fideiussiones cavendas; cann. 188-140, 142 circa abstinentiam ab omnibus quae statum ecclesiasticum dedecent, a theatris et spectaculis mundanis et a negotiorum saecularium gestione.

Quod praescribunt Can. 125 circa sacramentalem confessionem et pietatis exercitia et Can. 126 circa periodicum recessum ad spiritualia exercitia, iam longo tempore observatur. Exercitia spiritualia unoquoque anno praesente Episcopo communia habentur, et accurate invigilatur, ut unusquisque sacerdos saltem omni triennio spiritualia exercitia peragat. Decreto antecessorum cautum est, ut sacerdotes confessionem sacramentalem non ultra mensem differant; multi singulis hebdomadibus vel quindenis diebus peccata confitentur.

Juxta normas Can 130 omnes sacerdotes saeculares, qui inde ab festo Pentecostes 1918 studia sua expleverunt, per triennium integrum examen in diversis sacrarum scientiarum principalioribus disciplinis subeunt secundum tunc ab Ordinario determinatum modum:

Primo anno (1919) in Theologia Apologetica et disciplina biblica Novi et Veteris Testamenti, imprimis in Introductione, secundo anno (1920) in Dogmatica et Jure ecclesiastico, tertio anno (1921) in Theologia morali et pastorali et modo analogo sequentibus annis.

Quaestiones propositae scriptae persolvuntur. Qui insufficienti modo examen subierunt, intra sex menses examen ex competenti disciplina repetere debent.

Examinibus his bene persolutis sacerdotes exempti sunt ab experimentis illis ad jurisdictionem confessionalem excipiendam habendis et ab quaestionibus pro conferentiis sic dictis pastoralibus eodem tempore scripto elaborandis, praeterea examina ad provisionem parochiarum illico subire possunt.

Religiosi eadem examina eodemque modo sicut sacerdotes saeculares ast per quinquennium subeunt aut examina habita Ordinario loci demonstrare debent.

Conferentiae pastorales, de quibus loquuntur Canones 131 et 448, iam ab anno 1851 in dioecesi in usu sunt, de novo praescriptae et ordinatae in synodo dioecesana anno 1911. Bis in anno habentur, nempe tempore veris et autumnii. Themata in his coetibus tractanda ab Episcopo in folio dioecesano proponuntur eaque praesertim ex theologia morali, liturgia, pastorali et jure canonico desumpta sunt. Ad has quaestiones scripto elaborandas omnes cooperatores obligantur, qui nondum sex annos in cura animarum compleverunt et nondum pro duodecim conferentiis themata solverunt. His collationibus omnes sacerdotes, saeculares et regulares, qui curam animarum exercent, interesse debent, nisi gravi causa excusantur. Decani diem et horam conventus destinare, referentes idoneos eligere, conferentiae praesidere, discussiones dirigere, postremo definitivam solutionem secretario dictare debent. Hoc protocollum nominibus

singulorum, qui convenerant, subscriptis una cum thematis elaboratis ad Ordinariatum mittitur. Elaborata in Curia episcopali diligenter revidentur atque emendata et correctae postremo per decanale officium ad auctores remittuntur. Solutio quaestionum recta et nomina eorum, qui quaestiones propositas optime solverunt, in folio dioecesano publicantur.

Circa cohabitationem cleri cum mulieribus servantur, quae Can. 133 praescribit; querelae in hac materia Episcopo rarissime oblatae sunt.

Quae ad communem clericorum vitam pertinent, praesertim cooperantium cum parochis, vi iuris dioecesani, in synodo anno 1911 de novo promulgati, parochus cooperantibus domicilium et victum in domo parochiali praebere tenetur. Sine speciali permissione Ordinarius nulli cooperanti licet, extra domum parochialem habitare vel a mensa parochi discedere.

Episcopus non dubitat, quin sacerdotes omnes officium divinum (Can. 135) religiose persolvant, quia hucusque casus contrarius ad eius notitiam non venit. Ut sacerdotes decentem habitum ecclesiasticum (Can. 136, § 1) deferant, saepius iam per annos monita in folio dioecesano repetebantur et etiam a maxima parte observantur; neglectus tonsurae rarus est. In obeundis s. functionibus, praesertim in missae celebratione sacerdotes veste talari utuntur. Extra autem functiones ecclesiasticas in dioecesi ex consuetudine immemorabili breviori veste usque ad genua pertingente utuntur, nigri aut subobscuri coloris.

Fideiussiones, de quo Can. 137, non evenerunt.

Quae Canonibus 138 - 140 et 142 continentur, ab omnibus observantur. Notatur, unum sacerdotem Aloisium Konrad, doctorem in s. theologia et in arte medicinae permittente Sede Apostolica ex decreto S. Congr. Conc. dd. 7. Maii 1923 Prot. N. 2010/23 medicinam exercere, et quattuor sacerdotes consentiente Episcopo munere deputatorum fungi.

48. An et quot clericis licentiam concesserit, de qua in can. 139 § 3, operam suam praestandi in arcis seu mensis nummulariis parsimonialibus, cooperativis, ruralibus, aut similibus: an ratione communis boni, deficientibus laicis, et ob utilitatem religionis id concesserit; et num adhuc hae concessionis causae perseverent: an mensae nummulariae, in quibus clerici opus aliquod agunt, honestate personarum et principiorum tales sint, ut non dedeant sacerdotem in iis partem habere: an in iisdem administratio ita recte geratur, ut omne absit decoctionis periculum, in quo sacerdotes convoluti maneant; et quomodo caverit de securitate huius notitiae: an denique qui hisce arcis applicati sunt a religiosa sacerdotalis vitae praxi deflexerint, et molestiam aliquam attulerint: et si ita sit, Ordinarius casus proponat et remedia suggerat.

Decem sacerdotibus data est licentia, operam suam praestandi in mensis nummulariis parsimonialibus ruralibus et quidem ob bonum commune deficientibus laicis expertis et ob utilitatem religionis. Ista mensae nummulariae tales sunt, ut non dedeant sacerdotem in iis partem habere. Decoctionis periculum, in quantum sciri potest, nullibi adest; sacerdotes his arcis applicati a vita sacerdotali non deflexerunt.

49. An clerus praestet eam quam can. 127 praescribit obedientiam et reverentiam erga Ordinarium suum, et erga Apostolicam Sedem: et si sint qui graviter deficiunt, eos Ordinarius denunciaret. Si adsit in dioecesi clerus diversi ritus et linguae, quaenam sit inter clericos caritas: et quaenam Ordinario cura fuerit pro utrisque.

Clerus oboedientiam et reverentiam Sedi Apostolicae et Ordinario (Can. 127) debitam sincero corde praestare studet. Non adest in dioecesi clerus diversi ritus et linguae.

50. An generatim clerus officia obsequenter suscipiat, quae Ordinarius iuxta can. 128 eis committit: an habeantur, qui quamvis viribus polleant, otiosi tamen vivere malunt; si habeantur qui Universitates laicas frequentent, an hi servaverint ac servent leges a S. C. Consistoriali ad rem statutas: et si huiusmodi adsint, eos Ordinarius indicet.

Generatim clerus obsequenter officia suscipit, quae Ordinarius eis iuxta Can. 128 committit. Sacerdotes, qui quamvis viribus polleant, otiose vivere malunt, in nostris regionibus vix inveniuntur. Suis officiis sacerdotes generatim valedicere non possunt nisi consentiente Episcopo. Qui senio vel propter aegritudinem munere suo fungi non possunt, medicorum testimonio probare debent.

Sunt sacerdotes et quidem nunc tres, qui Universitates laicas frequentant, ut diploma acquirant, quo muniti in Gymnasio episcopali qua Professores deputari possunt. Leges a S. Congr. Consistoriali ad rem statutaе observantur.

51. An adsint sacerdotes qui in diariis et libellis periodicis scribant, vel ea moderentur: et qua facultate et utilitate id peragant. Can. 1386 § 1.

Cum consensu Ordinariatus sacerdotes diaria cum magna utilitate populi christiani moderantur et in libellis periodicis catholicis scribunt.

52. An adsint de clero qui cum scandalo diaria et ephemerides vel libros legant quae dedecent: qui factionibus municipalibus vel politicis indebite se immisceant: qui ad statum saecularem redacti sint, aut per nefas ad illum sponte sua sint regressi. Cann. 211-214: et quid fiat ad horum malorum remedium.

Nullus sacerdos, in quantum constat, libros vel diaria, quae dedecent, legit nec rebus politicis vel factionibus municipalibus indebite se immiscet.

Ad statum laicalem nullus clericus per legitimam auctoritatem redactus est; sponte sua et per nefas statum clericalem unus sacerdos reliquit. Cum Ordinariatui ignotum sit, ubi infelix sacerdos habitat, nihil pro eius conversione agi potest.

53. An et quo fructu aliquas ex poenis recensitis in can. 2298 Ordinarius irrogaverit: et casus graviores referat.

Suspensio a divinis lata est contra tres cooperatores, quorum duo contra VI. decalogi praeceptum deliquerunt, unus per nimium alcoholismum, quibus commoratio in quodam monasterio (Kainbach) praescripta est.

Caput VIII. *De Capitulis*

54. Si desit Capitulum cathedrale, dicatur quot consultores dioecesani habeantur, et serventurne circa ipsos quae cann. 424-428 statuunt.

Adest Capitulum cathedrale.

55. Si adsit cathedrale Capitulum, dicatur quot dignitatibus et canonicis constet; adsintne officia canonici theologi et poenitentiarum; et serventurne ab ipsis quae cann. 398-401 iubent; habeanturne alii beneficiati minores, et quot.

Adest Capitulum cathedrale. Inde a fundatione dioecesis Seccoviensis (1218/19) usque ad finem saec. XVIII. (1782) sedes Episcopi et Capituli cathedralis fuit in Styria superiore Seccoviae in

coenobio canonicorum S. Augustini, cuius ecclesia simul fuerat ecclesia cathedralis et canonici professi simul Capitulum cathedrale constituerant. Cum Iosephus II. imperator initio regiminis sui multa monasteria in Austria, inter quae etiam coenobium Seccoviense, suppressisset (1782), sedem episcopalem in urbem Graecii eiusdem terrae transtulit, ecclesiam S. Aegydy huius urbis ecclesiam cathedralem declaravit et Capitulum cathedrale de novo ex „Fundo religionis” erexit. Quae mutationes postea ab auctoritate ecclesiastica agnitae sunt. Capitulum novum 7 canonicos complectebatur, qui numerus saeculo sequenti (1859) tribus novis canonicis auctus est. Itaque nunc Capitulum cathedrale constat ex 10 canonicis, inter quos tres sunt Dignitates, quarum prima est Praepositi, secunda Decani, tertia Custodis. Canonici simplices sunt septem. Adsunt officia Canonici theologi et poenitentiarii, quorum prior laurea in s. theologia insignitus est. Uterque munus suum exercet iuxta Canones. Habentur praeterea in ecclesia cathedrali quattuor Vicarii, qui recitationi officii divini intersunt et salarium integrum a guberno civili recipiunt.

56. Exponatur quae sit dotatio Capituli seu beneficiatorum. In distributionum seu punctaturarum disciplina vigeantne et serventur regulae can. 395.

Tres iuniores canonici sustentationem percipiunt ex beneficio archiparochialis ecclesiae ad Ss. Sanguinem in urbe Graecii, nimirum archiparochus huius ecclesiae, qui simul est membrum Capituli cathedralis, et duo alii canonici. Ceteri septem canonici veteris foundationis praebendam habent ex fundo religionis. Dotatio omnium consistit partim in pecuniis partim in fructibus fundorum, et distincte administratur. Sic dictae Praesentiae seu distributiones quotidianae, quae canonicis actu praesentibus tantum praestantur, pro singulis per annum efficiunt tantum 320 cor. Beneficium archiparochiale ad Ss. Sanguinem separatim administratur. Pro missa conventuali specialis fundus non existit et expensae fabricae et cultus ecclesiae cathedralis ex fundo religionis solvuntur. Pro distributionibus autem quotidianis adest communis massa, quae a Capitulo cathedrali administratur:

Officio Punctatorum iuxta Can. 395 § 4, absentes a choro Canonicos annotandi, duo Canonici incumbunt. Distributiones – satis exiguae – Canonicorum absentium cedunt loco pio.

57. Si adsint canonicatus aut beneficia patronata, curaveritne Ordinarius, et quo fructu, ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus, aut saltem loco iuris praesentandi, acceptarent, iuxta can. 1451.

Canonicatus non subsunt alicui patrono. Dignitates nunc iuxta Codicem a Summo Pontifice, Canonici simplices ab Episcopo nominantur.

58. Adsintne statuta iuxta cann. 410 et 416.

Capitulum cathedrale, quod imperator Iosephus II. erexit (1786), constitutiones suas, obtenta etiam ratificatione caesarea, ab Archiepiscopo Salisburgensi Hieronymo Iosepho Francisco die 23. Octobris 1786 accepit eaeque etiam per litteras signo Pontificis Romani ddo. 4. Aprilis 1787 confirmatae sunt. Quae probe usque adhuc servantur.

59. Quot adsint canonici ad honorem: et serventurne de ipsis regulae can. 406.

Canonici ad honorem 6 provisione sunt et ab Episcopo iuxta Can. 406 nominantur. Hoc tempore quattuor sacerdotes dioecesis sunt Canonici honorarii.

60. Sede episcopali vacante, quaenam vigeat ratio providendi dioecesis regimini: servatane fuit, ultima vacationis vice, disciplina quam cann. 429-443 praescribunt.

Sede episcopali vacante Capitulum Vicarium Capitularem eligit et Archiepiscopus Salisburgensis electum vi singularis privilegii confirmat.

Ultima vacationis vice praescripta Canonum 429 - 443, in quantum tunc iam ius vigens erat, perfecte observata sunt.

61. Dicatur aliquid de modo quo Capitulum sacras functiones peragit, quo se gerit erga suum Ordinarium, et de aliis quae ad eius bonum nomen pertinent.

Officium chorale in ecclesia cathedrali est quotidianum tam pro recitatione officii divini quam pro missae conventualis celebratione. Iuxta statuta huius Capituli quibusdam diebus (15) Matutinum cum Laudibus cantatur seu recitatur; ceteris diebus Canonici solummodo ad Tertiam et Vesperas, porro ut adsint missae conventuali, obligantur; sed ex devotione sponte sua etiam Sextam, Nonam et Completorium recitant.

Canonici per totam dioecesim pollent auctoritate dignitati suae conveniente et inter se et cum Ordinario optima concordia coniuncti sunt. De eorum agendi ratione nihil dolendum est.

Canonici tamquam consiliarii Ordinarii praecipue in Consistorio, quod in Curia episcopali singulis totius anni hebdomadibus celebratur, episcopo consilium et iuvamen suum praestant. Sed etiam aliis occasionibus si res postulat, ac semper in illis casibus, pro quibus ss. Canones aut consilium aut consensum Capituli praescribunt, Canonici convocantur et interrogantur.

62. Si adsint in dioecesi Capitula, praesertim insignia, vel Communiae cleri ad modum Capitulorum, Ordinarius de iis referat analoge ad ea quae pro cathedrali Capitulo sunt requisita.

Aliud Capitulum in dioecesi non existit.

Caput IX.

De vicariis foraneis et parochis.

63. Referatur an Vicarii foranei adimpleant diligenter ea omnia quae can. 447 praescribit de vigilantia in ecclesiasticos viros sui ambitus seu districtus, de cura ut canonicae leges et decreta Ordinarii observentur, de aliisque; an paroecias juxta normas ab Ordinario datas visitent; et an quotannis rationem reddant Ordinario de statu sui vicariatus iuxta can. 449.

Vicarii foranei, qui in dioecesi Seccoviensi decani vocantur, diligenter generatim ea omnia, quae Can. 447 praescribit, adimplent, paroecias quotannis visitant et Ordinario iuxta Can. 449 rationem reddunt.

64. An paroeciae omnes de suo proprio pastore sint provisae: et servetne lex a can. 460 lata de uno dumtaxat pastore in unaquaque paroecia habendo, reprobata qualibet consuetudine et revocato quolibet privilegio.

Ex 340 paroeciis, quas dioecesis complectitur, 4 vacant, quae ob parvum numerum fidelium et ob penuriam sacerdotum a vicinis parochis administrantur. Unaquaqueque parochia unum tantum parochum habet.

65. An adsint paroeciae amovibiles, quot, et qua de causa. An et quot unitae Capitulis sive cathedrali, sive collegiatis, domui religiosae, aut alii morali personae: et in hoc casu utrum serventur leges de vicario curato constituendo cum libero exercitio animarum curae iuxta statuta

in cann. 415, 471 et 609 § 1. Et si religiosus sit parochus, an sarta tectaue sint quae Cann. 630, 631 hac de re praescribunt.

Paroeciae amovibiles in hac dioecesi non sunt. Una parochia, et quidem in urbe Graecii coniuncta est cum ecclesia cathedrali et a Canonico Capituli administratur; 75 parochiae diversis Ordinibus religiosis titulo incorporationis vel speciali Sedis Apostolicae permissione unitae sunt: Benedictinis Abbatiae Admontensis 25, Abbatiae ad S. Lambertum 20, Abbatiae Seccoviensis 1, Cisterciensibus Abbatiae Runensis 12. Canonicis regularibus S. Augustini Praepositurae Voravii 8, Ordini Praedicatorum 1, Ordini S. Francisci 4, Ordini Min. Conventualium S. Francisci 1, Ordini Servitarum B. M. V. 1, Ordini Equitum Melitensium 2, in omnibus his parochiis est vicarius curatus constitutus cui cura animarum incumbit. Quae Canones 630 et 631 praescribunt, sarta tectaue manent.

66. An et quot adsint patronatui obnoxiae: an et quo fructu cura fuerit Ordinario ut patroni spiritualia suffragia loco iuris patronatus aut saltem loco iuris praesentandi acceptarent iuxta can. 1451: sin minus, an in praesentatione servatae sint leges a cann. 1457 seqq. latae, ac maxime a can. 1452 in casu electionis seu praesentationis popularis.

Praeter 10 parochias, quae sunt liberae collationis, omnes sunt alicui patronatui obnoxiae. Tractatus de quo loquitur Can. 1451, cum patronis nondum sunt habiti. Leges ecclesiasticae quoad praesentationem perfecte semper sunt observatae. Electiones ac praesentationes populares, de quo agitur in Can. 1452, in dioecesi non habentur.

67. An provisio paroeciarum quae sunt liberae collationis fiat per concursum, et qua ratione concursus celebretur. Can. 455 seqq.

Provisio paroeciarum fit per concursum. Duplex autem concursus distinguitur, unus ad probandam scientiam competentium, alter ad probandam moralem qualitatem. Prior duabus vicibus in anno, vere et autumnus, instituitur et continet examen de scientia in diversis s. theologiae disciplinis. Hoc examen quivis sacerdos sive saecularis sive regularis post tertium annum in cura animarum transactum subire potest et debet. Omnibus concurrentibus nempe eadem quaestiones ex theologia dogmatica, morali, pastorali et iure canonico proponuntur, quas in conclavi sub inspectione scripto conficere debent. Praeterea instituitur etiam examen orale coram omnibus examinadoribus ex tota doctrinarum materia. Denique etiam concio et examen practicum ex catechesis habenda sunt. Qui examinadoribus synodalibus (aut prosynodalibus) satisfecerint, testimonium per sexennium quoad scientiam validum accipiunt; quo tempore elapso aut examen renovari aut dispensatio examinis ab Ordinario impetrari debet.

Alter concursus de morali qualitate instituitur immediate ante collationem cuiusvis certi beneficii et consistit in examine morum et qualitatum eorum, qui beneficium certum appetunt.

68. Quibus redditibus parochi vivant, an ex immobilibus, ex publico foenore vel aerario, an ex incertis stolae, et fidelium vel dioecesis contributione. An commode generatim vivant, et an adsint qui egestate laborant. An domo propria paroeciali, saltem conducta eaque sufficienti, generatim instructi sint; et si non, an studium sit et probabilitas ut ea instrui valeant.

Redditus parochorum, uti iam supra n. 45 dictum est, fluunt ex immobilibus, ex publico aerario, ex incertis stolae et ex liberis fidelium contributionibus. Generatim commode vivunt, quamvis unus alterve paupertate laboret. Parochi omnes domo paroeciali saltem sufficienti instructi sunt.

69. *An parochi generatim satisfaciant iis quae praescribunt: can. 463 § 4 circa gratuitum ministerium praestandum iis qui solvendo pares non sunt; can. 465 circa residentiam; can. 466 circa applicationem missae pro populo; can. 467 circa sacramentorum administrationem et animarum salutis zelum; can. 468 circa infirmorum curam; can. 469 circa vigilantiam ne errores contra fidem et vitia subreant; et circa opera caritatis, fidei et pietatis in paroecia instituenda et fovenda; can. 470 circa paroeciales libros recte conficiendos; circa exemplaria tradenda quotannis Curiae episcopali; can. 785 circa sacra olea a parochis loco decenti ac tuto custodienda.*

Obligationibus in enumeratis Canonibus contentis parochi generatim accurate satisfaciunt. Si in visitatione canonica defectus patefiunt, culpabiles monentur respective multantur.

70. *Circa baptismum: an quaelibet ecclesia parochialis sacro fonte sit instructa iuxta can. 774: et quoties infantes sine periculo aut gravi incommodo ad paroecialem transferri nequeant, an parochus ad proximiorum ecclesiam vel publicum oratorium pro sacramento ministrando ultra libenterque accedat iuxta can. 775.*

Sacramentum baptismi a parocho vel de eius licentia sacerdote semper in ecclesia confertur, nisi necessitas gravis e. gr. infirmitas infantis aut magna dignitas parentum aliud postulet.

71. *Circa SSmam Eucharistiam: an parochis cura sit studiumque indefessum ut, iuxta can. 863, fideles saepius et etiam quotidie pane Eucharistico reficiantur; ut iuxta can. 865, infirmi, dum plene sunt sui compotes, S. Viaticum suscipiant; ut iuxta cann. 1273, 1274 et 1275 cultus SSmi Sacramenti augeatur, excitando fideles ad quotidianam missae adsistentiam, ad visitationem serotinam peragendam, exponendo statis temporibus SSmam Eucharistiam, aliaque utilia peragendo; ut iuxta can. 854, servata quidem parentibus et confessariis debita libertate ad iudicandum de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem, iidem parentes ne negligant officium suum, et alii abusus ne subreant.*

Clerus dioecesanus omnibus viribus laborat, ut fideles iuxta Can. 863 Ss. Eucharistiam frequenter recipiant et infirmi congruenti tempore s. viatico reficiantur. Amor sincerus erga augustum sacramentum propter oppositionem ad sectam Lutheranam quasi innatus est et libenter sacrificio Missae in diebus dominicis et festis de praecepto, expositionibus Ss. Eucharistiae et supplicationi 40 horarum assistit.

In admittendis pueris ad primam communionem synodus dioecesana Seccoviensis anni 1911 in cap. X., pag. 232 statuit: Ad tuendam primam iuventutis innocentiam, tot insidiis circumventam, pueri et puellae ordinarie tertio, postquam scholam frequentare coeperunt, anno ad primam confessionem idque convenienter, si fieri potest, tempore Adventus vel Nativitatis Domini admittantur. Ad secundam vero confessionem et ad primam communionem tempore Pascali eiusdem anni ecclesiastici dirigantur. Nil tamen obstat, quin si sufficienter instructi sunt, etiam prius sancta mysteria delibent, praecipue parentibus id desiderantibus.

72. *Circa extremam unctionem: an parochis cura sit, ut hoc sacramentum ab infirmis recipiatur dum sui plene compotes sunt.*

Parochi, immo omnes animarum curatores sollicite student, ut infirmi extremam unctionem recipiant, dum sui pleni compotes sunt.

73. *Circa matrimonii celebrationem: an parochis omnibus cura sit diligens observandi quae praescripta sunt in Codice lib. III, tit. VII, circa libertatem status, impedimentorum dispensationem, sacros ritus, et adnotationem matrimonii.*

Quae circa matrimonii celebrationem Codex praescribit, diligenter a parochis observantur.

74. *Circa catechesim: an ab omnibus parochis diligenter serventur quae praescribit: can. 1330 circa peculiarem catechismum pro prima confessione et communione et pro confirmatione puerorum; et cann. 1331-1336 de catechismo diebus festis impartiendo tum pueris tum adultis.*

Circa praeparationem puerorum pro prima confessione et communione et pro confirmatione nihil amplius desiderandum est.

Quod explicationem catechismi attinet, fere ubique in media et inferiore parte dioecesis homiliae catecheticae habentur, quae hieme in ecclesia, plerumque cum sacro pomeridiano coniunctae, aestate autem in singulis parochiae pagis iuxta ordinem usitatum ad crucem aliquam publicam aut capellam in pago aedificatam dicuntur. Ista catecheses libenti cum animo ab adultis frequentantur et audiuntur.

75. *Circa evangelii explanationem: an ab omnibus lex servetur can. 1344; circa sacras conciones: an statis quibusdam temporibus sacrae conciones frequentius habeantur ad normam can. 1346, et sacrae missiones locum habeant iuxta can. 1349.*

Parochi et quicumque curam animarum gerunt, omnibus diebus dominicis et festis de praecepto Evangelium explicant et sacrum sermonem ad populum dirigunt, ita ut, si in parochia duo sacerdotes inveniuntur, etiam bis in dictis diebus in ecclesia parochiali praedicatio fiat.

In synodo dioecesana anno 1911 habita parochis iam commendatur, ut etiam missiones populares decimo quoque anno habeantur.

76. *An vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis laudabiliter fungantur iuxta can. 473 seqq.*

Vicarii cooperatores aliique animarum curatores suis officiis generatim laudabiliter funguntur; secus monentur vel etiam puniuntur.

Caput X.

De religiosis.

77. *An Ordinarius sive per se, sive per alium, quinquennalem visitationem domorum religiosarum peregerit iuxta cann. 512, 513: et quae notabiliora adnotanda habeat.*

Ordinarius partim per se partim per Canonicos visitationem domorum religiosarum iuxta Canones 512 et 513 peregerit et refert, religiosos generatim regulas et disciplinam fideliter servare et non solum habitu sed et spiritu religiosos se ostendere. Notabiliores defectus nullibi detexit. Deplorandum vero valde est, duos sacerdotes professos Ordinis S. Benedicti a fide catholica defecisse.

78. *Utrum religiosi, sive viri, sive mulieres, vitam communem ducant; an sint qui habitent soli, vel in domibus privatis cum saecularibus, et quo iure; quae sit in utroque casu eorum fama; quaenam pro dioecesi utilitas; an catechismum tradant, si Ordinarius requisierit iuxta can. 1334; quo habitu incedant.*

Religiosi, tum viri tum mulieres, vitam communem ducunt. Unus solus permittente proprio Abbate extra monasterium versatur, cum munere moderatoris folii diurni magna pro dioecesi utilitate fungitur. Fama huius sacerdotis P. Udalrici Graschitz ex Abbatia S. Lamberti est optima. Religiosi in propriis ecclesiis catecheticas instructiones ad populum habent. In quantum constat, habitu religioni proprio incedunt.

Religiosi ad populi utilitatem variis muneribus incumbunt:

a) Curam animarum in parochiis exercent: Canonici regulares Voravienses, Benedictini, Cistercienses, Fratres Minores (Franciscani et Conventuales), Dominicani, Servitae et Equites Melitenses; in cura animarum adiuvant praecipue Capucini, Redemptoristae, Lazaristae, Calasantini et Filii Congr. Ss. Cordis.

b) Verbo divino nuntiando seu Missionibus et exercitiis spiritualibus summo cum studio se dedunt Jesuitae et qui iam dicti sunt, Redemptoristae et Lazaristae.

c) Ad iuventutis institutionem vocati sunt Fratres B. M. V.

d) Aegrotorum curae se dedicant Fratres Misericordiae S. Joannis de Deo.

e) Fratres B. M. V. de monte Carmelo reliquos in vinea Domini laborantes precibus et vitae suae sanctitate adiuvant et firmant.

79. Si quaestuant es adsint, sive viri, sive mulieres, an canonicas praescriptiones cann. 621, 622, 624 servaverint: an aliquod inconueniens acciderit, vel aliquid sit de hac re animadvertendum. Quaestuant es sunt ex viris Capucini et Fratres Misericordiae, ex mulieribus Elisabethinae. Canonicas praescriptiones exacte observant et nihil inconueniens accidit.

80. Si congregatio aliqua dioecesan iuris, vel societas sive virorum sive mulierum in communi sine votis viventium habeatur, Ordinarius de ea, aut de eis, nomen dicat, finem, sodalium numerum, utilitatem, et si quae alia observanda habeat.

Congregationes dioecesan iuris duae sunt. Una est sororum scholarium, quarum regula sequitur tertium Ordinem S. Francisci. Fundata est anno 1843 et iam in dioecesi Seccoviensi 20 domos et extra dioecesim 8 habet. Ista magno cum fructu in scholis elementaribus et altioribus puellas instituunt et omnes eidem Superiorisae subiectae sunt.

Altera Congregatio Dominicanarum fundata est anno 1882 et sequitur regulam tertii Ordinis Praedicatorum. Etiam istae institutioni et educationi puellarum operam navant. Possident unam domum in pago Gleisdorf apud Graecium.

Societas sine votis in dioecesi non habetur.

81. Referat Ordinarius an aliquod offendiculum cum religiosis habeat in suae iurisdictionis exercitio.

Episcopus in suae iurisdictionis exercitio nunquam cum Religiosis offendiculum habuit.

82. Si adsint religiosi viri ordinibus sacris iam initiati, qui exclaustri, saecularizati aut dimissi a religione fuerint, referat Ordinarius quid de ipsis dicendum iuxta cann. 639, 640, 669 seqq.

Religiosi ordinibus sacris initiati, qui exclaustri aut dimissi a religione fuerint, non sunt.

Solummodo unus sacerdos in Ordine Frat. Min. Conventualium olim professus P. Marianus Tisch saecularisationis indulto a Roma obtento dioecesi Seccoviensi incardinatus est et munere Cooperatoris bene fungitur.

83. De religiosis mulieribus in specie Ordinarius referat:

- a) *an observentur canonicae leges circa admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem iuxta cann. 512, 513, 520-527, 533-535, 547, 549, 550, 552, 600-605;*
- b) *si quae monasteria monialium superioribus regularibus sint subiecta, an in casibus a iure statutis Ordinario subdantur iuxta cann. 500 § 2 et 615;*
- c) *quae vitae activae sunt quibus diversis operibus se addicant, et quo fructu;*
- d) *si sint quae infirmis in privatis domibus adsistant, aut rem domesticam in nosocomiis, Seminariis vel similibus virorum domibus gerant, an cautum sit a periculis quae in his adiunctis observantur, et an aliquid habeatur deplorandum.*
- a) Canones allati quoad admissionem ad novitiatum, professionem, clausuram, confessarios ac bonorum temporalium administrationem pie et stricte observantur.
- b) Moniales in dioecesi Seccoviensi omnes immediate Episcopo subiectae sunt, exceptis sororibus misericordiae S. Vincentii a Paulo, quae directioni Visitatoris Lazaristarum subsunt, et sorores s. Crucis, quae inspectioni et directioni supremae Superiorissae domus vel monasterii primarii in Ingenbohl (Helvetiae) subordinatae sunt. Canones respectivi observantur.
- c) Moniales, quae vitae activae addictae sunt, fidelibus et ecclesiae magnae utilitati sunt et partim instructioni et educationi incumbunt ut: Ursulinae, Sorores de Bono Pastore, de Ss. Corde Jesu, Sorores pauperes de Nostra Domina, Dominicanae, Sorores scholares, Filiae divinae Charitatis; partim operibus misericordiae, inprimis servitio infirmorum et infirmarum ut: Elisabethinae; partim utrumque coniungunt ut: Sorores Congr. s. Crucis, Sorores misericordiae S. Vincentii a Paulo, Famulae Ss. Cordis Jesu.
- d) Infirmis in privatis domibus assistunt Sorores Congregationis s. Crucis, Sorores misericordiae S. Vincentii a Paulo, Famulae Ss. Cordis Jesu et Auxiliatrices animarum purgatorii. Item rem domesticam in nosocomiis, asylis infantium, seminariis gerunt sorores s. Crucis et sorores miseric. S. Vincentii a P. Omnes cautelae, quae pro his casibus in Constitutionibus provisae sunt, diligenter observantur. Nihil accidit, quod deplorandum foret.

Caput XI.

De populo fideli.

84. Dicatur quinam sint generatim populi mores: quatenus vita christiana privata in familiis: quatenus publica in oppidis et civitatibus: an in externis pompis et solemnitatibus magis consistat, quam in vero pietatis spiritu. Et si sint differentiae notabiles unius loci ab alio, indicentur. Quid fiat ut christianae vitae professio, si paululum defecit aut a recta via declinavit, sensim reducat.

Populus indigenus est animo simplici et aperto miti ac tractabili ideoque alieno influxui facile parens. Amat generatim religionem et patriam. Ubi religio viget inprimis ruri et in pagis, vita in familiis est vere christiana, quae se manifestat in communibus precibus quotidianis, in frequenti receptione sacramentorum poenitentiae et altaris, in liberalitate erga ecclesias, opera pia et pauperes. Publica vita ruri, ut ex sequentibus apparebit, satis religiosa videtur, non item in oppidis et civitatibus. Quod pars populi ad incontinentiam vel ad alcoholismum inclinatur, deplorandum est.

Multo magis autem deplorandum, quod nostris diebus sollicitantibus socialistis multi ex operariis a catholica fide deficiunt. Hoc praesertim accidit in urbibus et in locis, ubi fabricae industriales habentur. Episcopus his malis per epistolas pastorales, per divulgationem librorum bonorum, per

s. missiones, clerus per congruos s. sermones, per sedulam administrationem sacramentorum occurrere studet.

85. Qua reverentia clericos, et maxime Episcopum et S. Pontificem, populus prosequatur. Can. 119.

Reverentiam erga clericos, Episcopum et S. Pontificem populus, in quantum est religiosus, observat; folia autem socialistarum et interdum etiam singulae personae socialistis adhaerentes despectum adversus clerum publice demonstrant.

86. Quae sit observantia: can. 1248 circa praeceptum audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis; cann. 1252, 1254 circa abstinentiam et ieiunium; can. 770 circa sollicitam baptismi collationem infantibus; can. 859 circa communionem paschalem: quot sint ex viris et ex mulieribus qui, cum sint professione catholici, nihilominus eam negligunt, facta proportione pro singulis centenis fidelium; can. 863 circa frequentem communionem; cann. 865 et 944 circa extrema sacramenta: an sint inter eos qui catholici censentur, qui haec sacramenta differunt, negligunt aut etiam recusant: et dicatur eorum numerus, habita proportione pro centenis; cann. 1203, 1239 seqq. circa cremationis reprobationem et funera: dicatur, servata proportione ut supra, quot ex iis qui catholici dicuntur funeribus mere civilibus seu irreligiosis sepeliantur: an id contigat ex nimietate taxarum stolae, an ex alia causa.

Homines ruri viventes agrosque colentes diebus dominicis et festivis ab operibus servilibus maximam ad partem abstinere, non autem homines, qui in officinis et negotiis industrialibus laborant, cum lex civilis sanctificationem dominicarum et dierum festorum ad partem tantum tueatur. Isti et multi etiam incolae oppidorum diebus praescriptis missae sacrificio et verbo divino non intersunt, sed excursions in montes et in regiones rurales suscipiunt.

Iidem sunt quoque, qui leges abstinendae et ieiunii, denique praeceptum confessionis annuae et communionis Paschalis amplius non observant, id eo magis, quia indifferentismus propter multas dispensationes et per leges civiles admodum nutritur. In parochiis ruralibus omnes viri et mulieres paucissimis tantum exceptis communionem Paschalem accipiunt. In urbibus tamen et locis industrialibus quarta pars virorum et maior pars mulierum officio obsequitur. Generatim frequentia ad sacramentalem confessionem et sacram communionem in media et meridionali diocesis parte maior est, quam in montanis Styriae superioribus regionibus. Notandum autem est, quod quo plures sunt in parochia societates religiosae et quo diligentius diriguntur, eo crebrius fideles ad sacramenta Poenitentiae et Altaris accedunt. Utique decretis de s. communionem editis in plurimis parochiis fideles non pauci quotidie, maior numerus pluries in hebdomade ad s. Synaxim accedunt.

Ruricolae adhuc curant, ut baptismus eodem die ac infans natus est, vel saltem sequenti die conferatur; in urbibus baptismus nonnunquam per unam alteramve hebdomadem differtur.

Extrema sacramenta generatim a fidelibus etiam tepidis non recusantur, ita ut pauci tantum sine susceptione sacramentorum moriantur. Certus numerus non potest afferri.

Circa cremationem dicendum est, raro accidere, quod cadavera catholicorum cremantur. Item qui catholicae fidei addicti moriuntur, non sepeliuntur funeribus mere civilibus. Funera mere civilia in usu sunt solum pro iis, quibus sepultura ecclesiastica deneganda est - quod raro accidit; et pro iis, qui nulli confessioni addicti sunt.

87. *Circa matrimonium: an matrimonia mere civilia, concubinatus et divortia habeantur, et qua proportione; an vitia contra sanctitatem matrimonii irrepserint; quid fiat ut haec mala removeantur.*

Matrimonia mere civilia inter catholicos valde rara sunt; concubinatus in urbibus satis frequentes et divortia ultimis annis post bellum frequentissima fiunt. Anno 1921 numerus separationum coniugum a thoro et mensa erat in dioecesi plus quam 800. In familiis cultioribus praesertim in urbibus etiam vitium „Neo-Malthusianismus” grassari incipit.

88. *Ubi catholici cum acatholicis mixti sunt, et mixta matrimonia habentur, dicatur numerus horum matrimoniorum tum absolutus tum relativus ad matrimonia non mixta: quaenam exinde detrimenta religioni proveniant: an serventur ab his contrahentibus clausulae can. 1061.*

Quamvis numerus A catholicorum in dioecesi, ut supra n. 3. notatum est, non sit magnus, matrimonia mixta quotannis circiter 60 habentur. Permittuntur tantummodo ex legitima causa et cautelis praescriptis servatis, si nimirum nubentes contractum legitimum exhibent, quo acatholicus promittit educationem omnium liberorum in catholica religione et plenam libertatem exercitii catholicae religionis a parte catholica. Sed plerumque ista matrimonia in perniciem catholicae religionis abeunt, quia conditiones in matrimonio non observantur ab utraque parte.

89. *De christiana educatione prolis: quomodo generatim parentes et qui loco parentum sunt, in sinu familiae satisfaciant gravissimae huic obligationi, de qua cann. 1113 et 1372: et quae cura sit ne ab hoc officio fideles deficiant.*

Generatim parentes curant, ut liberi non solummodo in sinu familiae sed etiam extra eam et maxime in scholis moribus christianis instituantur. Negligentiores hac in re sunt nobiles et operarii socialistae. Sed recentiore tempore – post bellum – hoc officium etiam a familiis alias pientioribus non raro negligitur, seducti per exemplum nobiliorum et leges civiles, quae in multis rebus laxioribus moribus et doctrinis arrident. Monita et praecepta divina parentibus saepe inculcata sunt.

90. *De scholis: an in publicis scholis, praesertim elementaribus, servetur praescriptum can. 1373 de institutione religiosa puerorum. Et si non, qualibet de causa; an cura sit fidelibus et clero instituendi pro catholicis pueris scholas confessionales, eosque avertendi a scholis acatholicis, neutris, mixtis, iuxta can. 1374.*

91. *De conditione et statu scholarum confessionalium, praesertim elementarium, enucleate referatur: quomodo sustententur, a quot alumnis frequententur, qualique profectu. Et si scholae confessionales institui non potuerint, indicetur causa: et dicatur, an per varia opera-postscholastica, hoc est oratoria festiva, Congregationes Marianas, scholas catechisticas, aliisve modis, cautum pro viribus sit praeservationi puerorum et puellarum.*

90 et 91. Imperium Austriacum decursu temporis monopolium in scholis dirigendis sibi vindicavit. Legibus enim ddo. 25. Maii 1868 et 14. Maii 1869 scholae omnes publicae declaratae sunt interconfessionales. Finis principalis quidem his scholis praefixus est educatio „moralis et religiosa”. Aditus autem ad Scholas publicas patet omnibus liberis cuiusvis religionis. In scholis publicis instituere et educare possunt iuventutem catholicam magistri nullo religionis respectu habito, ergo etiam iudaici et acatholici, immo homines omni religioni inimici. Director autem talis scholae eligendus est vir, qui eiusdem religionis ac maior pars discipulorum est. Sacramenta tribus saltem vicibus per annum a discipulis catholicis suscipienda, missa quavis dominica, diebus festivis certisque aliis diebus a catholicis frequentanda est.

Suprema inspectio scholarum publicarum regimini civili, inspectio autem immediata quoad institutionem religiosam et pia exercitia confessioni respectivae reservata est.

Quamvis hic rigor legum interconfessionalium novellis posteris mitigatus est, tamen indoles et mens earum mansit et sensum puerorum pium depravat. Qua de causa in nostra dioecesi plures scholae privatae catholicae conditae sunt a quibusdam Congregationibus, Ordinibus necnon ab Unione hominum catholicorum, quae ad catholicas scholas erigendas et sustentandas fundata erat. Tales scholae catholicae sunt:

- a) Duae scholae catholicae ad praeparandas magistras;
- b) unus convictus ad praeparandos magistros;
- c) una schola puerorum elementaris;
- d) sex scholae puellarum elementares altiores;
- e) 31 scholae puellarum elementares.

Praeterea sunt plures pensionatus pro filiabus, scholae industriales, asyla parvulorum et alia instituta.

Haec scholae catholicae quoad indolem religiosam liberae sunt, quamvis quoad scientias saeculares supremae Gubernii inspectioni subjiciuntur. Nuperrime in nostris regionibus Liberalistae novum genus scholarum introducere student, in quibus nulla religio doceatur omnisque mentio et auctoritas religionis excludatur ita, ut pueri sine scientia religiosa adolescant. Has scholas appellant etiam „liberas”, quas autem hucusque Gubernium civile non legitimavit. In scholis mediis vel superioribus, inprimis in Universitatibus maior adhuc libertas scholarium dominatur atque haud pauci professores in animos iuventutis studiosae sensum Deo et patriae indifferentem, immo Ecclesiae hostilem infundere student. Ad haec pericula tollenda vel saltem minuenda Ordinarius loci ante omnia in scholis mediis praeceptores religionis idoneos providere attendit, qui eas doctrinas praecipue clare proponant, quae ab hodiernis infidelibus impugnantur, qui moribus discipulorum caute invigilent, qui florem iuventutis in Congregatione Mariana colligant. Sed etiam studiosi catholici Universitatis multi iam in Congregationes Marianas et Uniones academicas cum bono fructu congregati sunt. Quod autem adversarii nostri summopere agitant, ut nempe facultas theologica ex Universitatibus ejiciatur, quo expeditiores ecclesiam catholicam impugnare possent, ex una parte clerus omnesque fideles vires suas intendunt, ut sacra theologia ius suum haereditarium retineat.

Ad sanam christianae iuventutis institutionem et praeservationem multa opera in dioecesi habentur, quae postscholaria dicuntur. Hic tantummodo mentio fiat illarum turmarum laicalium, quae doctrinam christianam, uti in schola elementari docetur et discitur repetere, clarius comprehendere et memoriae firmiter mandare student. Hae turmae catecheticae in eo consistunt, ut pueri et puellae e scholis elementaribus egressi et in eodem pago vel communitate habitantes sub moderatore quodam laico eiusdem sexus diebus dominicis tempore hiemis in aedibus privatis, aestive autem sub divo ad capellam vel crucem aliquam congregentur ad catechismum discendum et repetendum. Singulae hae turmae in ecclesia parochiali per annum bis vel pluries sive ante sive post concionem dominicalem a paroco, hincinde etiam occasione excursionum parochi catecheticae examinantur. Postremo a decano vel etiam Episcopo canonice visitante ex tota catechismi materia interrogantur. Per se patet, quanto fructui hae turmae laicales ad recognoscendas et observandas veritates christianas fidelibus esse possint.

92. De religiosis et piis laicorum associationibus; an adsint in dioecesi tertii Ordines saeculares, et confraternitates, illae praesertim Ssmi Sacramenti et Christianae doctrinae, aliaeque, piae uniones potissimum pro iuvenibus: quo numero et quo religionis profectu.

Tertiarii plurium Ordinum in dioecesi adsunt, nimirum S. Francisci, S. Dominici, Servorum B. M. V. de monte Carmelo, quibus annumerari quoque possunt Oblati et Oblatae saeculares S. Benedicti. Plurimi pertinent ad tertium Ordinem S. Francisci. Omnes isti Tertiarii honestam vitam agunt in saeculo et fidelibus pietatis incremento sunt.

Praeterea pro populo existunt sequentes piae associationes:

- a) Confraternitas Ss. Sacramenti;
- b) Confrat. adorationis perpetuae;
- c) Confrat. Ss. Cordis Jesu
- d) Pia christianorum confoederatio Apostolatus orationis;
- e) Societas Ss. Rosarii B. M. V.;
- f) Confrat. Scapularis B. M. V. de monte Carmelo;
- g) Confrat. septem dolorum B. M. V.;
- h) Congregationes Marianae;
- i) Consociatio a S. Familia;
- k) Consociatio quattuor Ordinum iuvenum, virginum, patrum et matrum.

Praeterea existunt piae societates, quae immediate fidem conservandam et propagandam sibi proponunt. Inter has eminent:

- a) Societas de Propaganda Fide;
- b) Societas a S. Infantia Salvatoris ad salvandos infantes infidelium in Sina;
- c) Societas Leopoldina pro missionibus in America;
- d) Societas S. Petri Claver pro missionibus Africanis.

Accedunt quaedam uniones recentiores ad fidem conservandam in ipsa patria nostra, cum inde ab aliquot annis in Austria periculum apostasiae creverit.

Huc spectant:

- a) Societas ad scholas catholicas fundandas;
- b) Societates ad divulgandos bonos libros et ephemerides ut: Unio catholica typographica
- c) Societas Bonifaciana
- d) Societas Piana et aliae.

93. An hae associationes servant omnes praescripta: can. 690 de subiectione erga Ordinarium; can. 691 de administrationis modo.

Canones 690 et 691 omnino observantur.

94. An adsint inter catholicos associationes illae, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum in hunc vel alium caritativum finem, vel mutuuum subsidium; an asyla pro infantibus, patronatus pro iuvenibus, pro emigrantibus etc., circuli pro iuventute, laboratoria pro artificibus, vel pro puellis etc.: quo spiritu agantur: an directioni et moderationi Ordinarii et Apostolicae Sedis dociliter subsint: quaenam beneficia sive moralia sive temporalia praestent.

In dioecesi florent associationes, quae sociales vocantur, agricolarum, operariorum, mulierum. Huc referenda sunt:

- a) Sub tutela Unionis dominarum Graecensium: 4 instituta „Crèches” vocata, in quibus proles, quibus materna cura deest, a primo usque ad tertium annum, et 5 instituta, in quibus parvuli a tertio usque ad sextum annum per diem diligenter custodiuntur et nutriuntur. Extra Graecium 9 similia instituta existunt.
- b) Praeterea 5 maiora orphanotrophia existunt in dioecesi, 3 pro puellis et 2 pro pueris, quae duo societatibus virorum catholicorum subsunt.

c) 5 asyla pro puellis scholas elementares frequentantibus, quae extra scholam refugio indigent. Accedit etiam domus puellarum iam corruptarum et ex scholis exclusarum, ut corrigantur.

d) Unio dominarum activae caritatis pauperes in domibus privatis visitantium.

e) Pium opus dominarum, quae paramenta pro pauperibus ecclesiis aut pecuniis aut laboribus parant.

f) Opus S. Philippi Neri cum 7 patronatibus atque uno asylo unaque schola pro famulabus.

g) Duae domus „Salutis” pro puellis lapsis vel in magno periculo versantibus, quarum curam sorores de Bono Pastore gerunt.

Sub tutela virorum piorum vel talium societatum:

a) 5 asyla pro pueris scholam frequentantibus et una domus pro pueris corruptis.

b) Institutum pro caecis pueris et puellis sub directione sacerdotum et sororum misericordiae.

c) Institutum pro surdo-mutis sub sacerdote direttore, sed sub iure et inspectione Praesidis provinciae.

d) Unio opificum Kolpingiana cum una domo et pluribus stationibus.

e) Unio fabrorum cum schola.

f) Uniones diversae operariorum catholicorum cum duabus domibus et uno diario.

g) Unio S. Vincentii a Paulo, quae in singulis urbis Graecii regionibus et pluribus aliis oppidis introducta non solum pauperes per domos visitat, sed etiam orphanotrophia et asyla pro pueris scholas frequentantibus sustentat. Haec Unio anno 1912 circa 180.000 coron. pro miseria sublevanda donavit.

h) Diversae Uniones iuvenum catholicorum, quae contra circulos Socialistarum democraticorum fines sociales diversos assequi student. Omnes associationes subsunt directioni et moderationi Episcopi et utilitatem non parvam religioni afferunt.

95. An cura sit ut qui hisce associationibus sive religiosis et piis, sive socialibus adscripti sunt, in fidei doctrina instituantur et christianam vitam ducant.

Cum in omnibus associationibus vel „praeses” vel „consulens” sit sacerdos, socii in doctrina christiana instruuntur et, ut vitam christianam ducant, invigilantur.

96. An et qua diffusione ephemerides vel diaria obscoena, irreligiosa, modernistica vel liberalia dioecesim pervadant: an libri quoque huius generis diffusi sint: quid fiat ad tantum malum coercendum et quo fructu.

In dioecesi ipsa circiter 50.000 ephemerides liberales et partim irreligiosae unoquoque die eduntur, pluria millia ex aliis oppidis Austriae et Germaniae introducuntur; etiam libri religioni et bonis moribus hostiles eduntur et introducuntur. Ad tantum malum coercendum iam in Concilio provinciali Salisburgensi (1906) et in Synodo dioecesana Graecensi (1911) clerici graviter moniti sunt, ut ipsi a lectione diariorum liberalium abstineant eaque omni studio ex familiis removeant, e contra bona et utilia propagent, immo in quantum fieri posset, calamo, consiliis, aere adiuvent. Praeterea summo cum fructu divulgationi pravorum foliorum quaedam Uniones se obsistunt disseminando bona diaria, ephemerides, libros. Ex quibus pro dioecesi nostra summi momenti est „Unio typographica dioecesana”; deinde „Societas Bonifatiana”, quae folium apologeticum ubere cum fructu edit pro populo „Sankt Bonifatius”.

Per agentes speciales etiam libri utiles et diaria bona externarum Unionum divulgantur e. gr. societatis „S. Josef-Bücherbruderschaft“ (Klagenfurt), „Kathol. Bücherverein“ (Salzburg), „Volksaufklärung“ (Wien).

Praeterea aliae Uniones dioecesanae ut Unio opificum, S. Vincentii, Opus S. Philippi Neri cum patronatibus etc., porro multae parochiae pro parochianis Bibliothecas possident. Inprimis Graecii omnibus, qui catholice sentiunt, duae Bibliothecae egregiae cum multis voluminibus praesto sunt: „Volkshalle“ et „Verein Lesefreund“, ne fideles ab aliqua bibliotheca populari libros pravos vel minus aptos mutuare cogantur.

97. An massonicae sectae addicti, vel etiam massonicae tabernae in dioecesi habeantur: quanta et quali activitate operam adversus religionem moliantur: quid fiat ad occurrendum huic malo. Massonicae tabernae vel publice massonicae sectae adscripti in dioecesi hucusque non habentur; utique autem singulae personae huic sectae adhaerent.

98. An socialismi societates habeantur: quot numero, quanti momenti et quali religionis noxa: et quid fiat ad hanc avertendam.

Socialismi societates inter operarios quamplurimae habentur; operarii persaepe terrore coguntur, ut nomen suum societati inscribant. Societates Socialismi maximum damnum ecclesiae catholicae inferunt, cum iam pueros a catholica fide avertere studeant et adultos socios saepius cogunt, ut a fide catholica deficiant. Contra istas societates fundatae sunt societates operariorum catholicae, quae verbo et opere sententias et conamina earum impugnant.

99. Utrum in exercitio iurium politicorum et civilium fideles catholici religionis bono et Ecclesiae libertati pro viribus consulant.

Fideles catholici in exercitio iurium politicorum et civilium, in quantum verbo et opere possunt, religionis bono et ecclesiae libertati consulunt; saltem mala fide nihil negligunt vel agunt, quod religioni et ecclesiae nocere possit, sed data occasione unitis viribus et aptis mediis bonum religionis et libertatem ecclesiae tueri et promovere student.

Caput XII.

Judicium syntheticum Ordinarii circa dioecesis statum.

100. Denique Ordinarius, omnibus in universum complexis, dicat, praesertim in prima sua relatione, quid actu sentiat de materiali et morali conditione dioecesis, quae spes melioris status affulgeat, quaenam maiora discrimina immineant.

In sequentibus vero relationibus addat, quomodo et quo fructu ad effectum perduxerit monita et mandata, si quae S. Congregatio in sua responsione ad praecedentem relationem significaverit: et utrum progressus, regressus, an potius idem ferme persistens status in rebus fidei et morum haberi videatur in dioecesi: et quaenam de eo censeantur causae.

Si iam omnia, quae in antecedentibus capitibus dicta sunt, in brevi iudicio complectimur, haec fere dici possunt:

Dioecesis Seccoviensis, quae iam plus septem saecula sub diversissimis periculis et maximis difficultatibus persistit, sperat, se Deo adiuvante etiam praesentia quamquam maxima discrimina quoad materialem et moralem statum esse superaturam. Inde ab initio parva et exigua respectu territorii et numeri incolarum paulatim per saecula crescebat ac postremo exeunte saeculo XVIII. sub imperatore Josepho II. et mediante saeculo XIX. sub imperatore Francisco Josepho praesentem extensionem adeptam est. Ea plerumque benevolentia imperatorum Germaniae et postea Austriae gaudebat, donec nostris temporibus principia antichristiana etiam in leges Austriacas intrusa sunt. Nunc autem monarchia collapsa et republica constituta statim libertas

omnium religionum (1918) proclamata est, quo facto impetus et oppugnatio in religionem catholicam hucusque dominantem acerrima incepit. Haec perdurabat, donec secundum novam reipublicae constitutionem deputati pro comitiis electi sunt, quorum maior pars quoad fidem erat christiana, minor pars autem Socialistica et infidelis.

Deputati comitorum utique convenerunt, ut primo fundamenta politica et deinde res religiosas tractarentur, sed Socialistae infideles conventionem parum servabant atque in et extra comitia institutiones christianas praecipue catholicas impugnare pergebant et adhuc pergunt. Inprimis scholam confessionalem, matrimonium indissolubile et ecclesiam romanocatholicam in suis conventibus privatis et publicis atque in suis diariis quotidie convitiis et calumniis invadunt. Munera publica, in quantum possunt, viris Judaeis et infidelibus tradere et scholas magistris acatholicis vel saltem indifferentibus committere student. Qua de causa fit, ut etiam agitatio pro apostasia a fide catholica continuo et non sine effectu moveatur.

Id autem in Styria eo periculosius et efficacius est, quia hic existunt multae officinae metallicae, fabricae industriales, porro uberes fodinae carbonum fossilium, ferri et aliorum metallorum, in quibus multa millia operariorum plerumque ex omnibus mundi partibus conflunt, homines ad maximam partem perversi, sine fide et virtute. Hi ubique organisationes fundant, quae centra fiunt Socialistarum infidelium, et partim per socios agitadores, partim per diaria sua in populo vulgari fidem evertere, odium in possidentes et magistratus concire, aversionem in Ecclesiam eiusque ministros excitare conantur atque in genere destructionem omnis ordinis publici praedicant. Isti actus omnes adversus fidem et Ecclesiam catholicam promovent ac molimina adjuvant, quae apostasiam a Roma, ac denique a Deo, ergo atheismum adducere possunt. Hoc enim ultimus finis eorum est.

Quod attinet statum moralem terrae et dioecesis nostrae in sensu strictiore bellum gestum magna et varia damna et vitia paravit, quae proeliis finitis in tempora pacis transfundebantur et ceu deplorandae sequelae adhuc augebantur. Miseria enim hominum omnis generis primo pecuniae valore decrescente in dies aucta erat. Ex una parte paupertas et fames plebis crescebat, ex altera parte luxuria quorundam divitum et praecipue etiam operariorum in fabricis magnam pecuniam merentium omnem modum excedebat. Accessit, quod milites ex bello reversi, qui ad magnam partem moribus et vitae ratione corrupti erant, vitia et vitae suae pravitatem etiam in suis familiis et cognationibus retinere et divulgare studebant. Ita factum est, ut quaedam corruptio moralis etiam ad plebem ruralem transire minaretur, cui perniciem autem statim sacrae missiones populares cum effectu oppositae sunt. Gubernium republicanum, plane infirmum, pro fide et religione defendenda nihil agere potuit vel voluit, qua de causa per ultimum quinquennium ut in tota Austria ita etiam in Styria et nostra dioecesi pro rebus catholicis acerrime certandum erat. Nunc aliqua quies illucescit externa, quia pro tempore vir catholicus, immo sacerdos (Ign. Seipel) suprema potestate publica utitur ad restaurandam Austriam summa cum auctoritate et laude plurimorum, qui lites et infestationes religiosas manifestas non tolerat.

Jam cum in benignissimo responso ad ultimam Relationem (1918) specialia mandata proposita et injuncta non sint, isti relationi nostrae finem imponimus ac firma spe et fide repetimus:

Quamquam post bellum etiam in Styria et in dioecesi Seccoviensi res religiosas ex causis supra indicatis in magna parte incolarum depressae et in periculum vocatae sunt, tamen fides et ecclesia catholica in terra nostra firmatae manebunt et ordine publico restituto etiam mala religiosa intrusa brevi tempore reprimuntur et expelluntur. Jam enim media ad id idonea ubique a clero et populo catholico adhibentur: Institutio populi in religione frequentior, sacrae missiones populares, crebra receptio sacramentorum confessionis et eucharistiae, organisationes catholicae et uniones religiosas inter diversos fidelium ordines a scholis inferioribus usque ad

universitatem, denique etiam societates et uniones pro mulieribus catholicis fundatae, quae in familiis praecipue fidem et genium religionis catholicae nutrire et fovere debent. Postremo etiam divulgatio librorum et diariorum catholicorum ubique magna cum alacritate et fervore peragitur, itaque si ad haec studia hominum fidelium appetitur et impetratur etiam gratia et benedictio Dei, tunc dioecesis Seccoviensis et praesentia pericula vincet et futura, quod Jesus Salvator suo gregi fidei benigne providere dignetur.

Deo Patri sit gloria, Eiusque soli Filio. Cum Spiritu Paraclito, Nunc, et per omne saeculum!
Amen.

Graecii in Styria, die 24. Octobris 1923

+Leopoldus m.p.
Princeps Episcopus
Seccoviensis